

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>







Williams College Library.



Nº *20159*

24



THE OHIO STATE
UNIVERSITY
LIBRARIES





F. G. W. S t r u v e

Observationes astronomicas,

institutas in specula Universitatis caesareae

Dorpatensis,

publici juris facit Senatus Universitatis.

Volumen IV.

seu

Novae seriei Volumen I.

Observationes annorum 1822 et 1823.

Dorpati, 1825.

Ex officina academica J. C. Schuenmanni.

I n t r o d u c t i o .

Novam seriem observationum Dorpatensium non sine jure nos hoc volumine incepisse speramus. Observationes enim meridianae annis praecedentibus institutae, cum per tubum mere culminatorium essent factae, ad ascensiones rectas tantum cognoscendas valuere. Jam vero nova instrumenta, quibus haec specula est instructa, majorem observationum ambitum provocavere, quo, praeter ascensiones rectas, distantiae et a polo et a vertice ea praecisione constituerentur, quam pro praestantia organorum, quae *Reichenbachii* ingenio inventa eoque duce perfecta sunt, licet assequi.

Minora instrumenta *Reichenbachiana* duo accepimus, de quorum altero in Vol. III. p. IV. jam mentio est facta, nempe *universale* illud, quod per binos circulos tam horizontales quam verticales metitur angulos; nec non *circulum verticalem repetitorium* diametri 18 pollicum. Quae instrumenta, ut quidem in usum veniunt primum in operationibus et geodaeticis et astronomicis dimensionis nostrae arcus meridiani, ita tamen apparatus speculae adnumerantur. Nec desunt occasiones, quibus in ipsa specula ad observationes adhibeantur.

Locum vero longe primum obtinet *circulus meridianus*, ab artificibus incomparabilibus *Reichenbachio* et *Ertelio* constructus, qui medio anno 1822 Dorpatum pervenit, et versus finem Octobris ad observationes paratus fuit. In omnibus partibus est simillimus illi circulo, qui specu-

lam Regiomontanam ornat, quemque breviter quidem descripsit clarissimus speculae antistes in introductione vol. 6. annalium. Quo quidem instrumento cel. Besselius ita usus est ad stellarum borealium et fundamentalium ascensiones rectas et praecipue declinationes constituendas, ut nullum dubium mihi videatur esse, quin positiones, quas continent vol. 6 et 7 annalium Regiomontanorum, pro perfectissimis sint habendae, quas ars observandi hucusque protulerit. Atque ut ex his probari videtur circulum meridianum Reichenbachianum omnia superare instrumenta antea constructa et indole sua et perfectissima elaboratione summaque divisionis praecisione: ita etiam quisque facile confitebitur novam eamque veram observandi viam aperuisse cel. Besselium, exemplumque dedisse disquisitionum difficillimarum de erroribus instrumentorum constantibus methodorumque, quibus effectus hi nocui eliminantur, quod unusquisque, cui astronomiae progressus vere sunt cordi, imitari debet, anxius quamvis, num assequatur studio et labore assiduo.

Praeter haec instrumenta horologia pendula tria apparatusi nostro accesserunt, alterum Liebherianum, quod in animo fuerat juxta circulum meridianum ponere, alterum Hamburgi a cel. Repsoldio constructum, quod versus finem tantum anni 1823 accepi. Tertium, minori pendulo compensatorio instructum, quod per dimidias secundas movetur, etiam in institutis Monachiensibus elaboratum, ad observationes astronomicas dimensionis arcus meridiani inserviet.

Lautus utique est habendus hic instrumentorum apparatus, si quae prius fuere etiam adnumereres, nec est cur amplius nostra specula, si subsidia spectas, cedat ulli. Multo vero, cum haec conscribo, etiam increvit splendor instrumentorum, quia jam possidemus giganticum illud telescopicum achromaticum, lente objectiva diametri 9 poll. Paris, cujus distantia focalis est $13\frac{1}{2}$ pedum, instructum, artificium admirabile clarissimi *Fraunhoferi*. In quo instrumento nescis quid magis admireris, num formas externas splendore gaudentes summo, an mechanismum, quo seu ab observatore seu ultro ad corporum coelestium incessus diurnos movetur, seu virtutem opticam, qua fortasse nulli cedit telescopio reflectorio, ne maximis quidem, quae viri immortales Herschelius et Schroeterus construxere. Sed de hoc instrumento copiosius disserendi non hic est locus, cum anno demum 1824 in speculam pervenerit.

Hunc vero instrumentorum splendorem debet specula haec munificentiae augustissimi *Imperatoris*, qui Universitatem nostram literariam iis instruxerit subsidiis, ut, quidquid ad scientias promovendas idoneum ducat, sibi comparare possit audere; nec non illustrium praefectorum benevolentiae, qui magnis astronomi votis humanissime consulere; eoque incitamento mihi sunt, qui

pro viribus enitar, ut incomparabilem hanc instrumentorum copiam digno modo ad observationes adhibeam. Quod ut mihi non male successerit, magisque in futurum succedat, in votis certe est ardentissimis.

Minora duo instrumenta, universale illud dictum atque circulus repetitorius, locum obtinere in portico, quo domicilium astronomi cum specula conjungitur. Stant in columnis latericiis sub rimis in plano meridiano. Circulus vero meridianus positus est in magno conclavi speculae occidentali, ut tubus culminatorius Dollondinus in orientali, et columnis ex uno saxo fulcitur. Sed de hoc instrumento copiosius est agendum.

In animo habui circulum meridianum Reichenbachianum accuratius describere adhibitis tabulis ex aere expressis. Cui proposito et annuit auctor instrumenti, et ut perficerem excitavit Ertelius, instituti Reichenbachiani director. Sed hoc in aliam occasionem differre coactus sum. Nec brevi delineatione egeret hoc instrumentum, quam optime elaboratam in vol. 6 annalium Regiomontanorum invenire poteris, nisi minus idoneum videretur, non in ipsis his commentariis, sed alibi tantum, posse legi, quae ad cognitionem apparatus observationesque dijudicandas valerent. Quo accedit quod in nonnullis quamvis non gravibus rebus interest inter instrumentum Regiomontanum et nostrum. Sequentem vero delineationem exaranti descriptionem Besselianam ante oculos fuisse, libenter et grato fateor animo.

Bradlei tempore specula bene instructa quatuor exposcebat instrumenta meridiana, binos quadrantes murales, sectorem verticalem et tubum culminatorium. Duos quadrantes cel. Troughtonius in unum junxit circulum muralem, cum auctore cel. Pondio specula illa Grenoviciensis novis perfectioribusque ornaretur subsidiis. In specula Panormitana aliisque duo suffecerunt instrumenta meridiana, cum circulus verticalis, quem primus construxerat Ramsdenius, esset loco quadrantium et sectoris. Uno vero instrumento eadem assequi, quae antehac pluribus, tam cognitionem perfectissimam ascensionum rectarum quam distantiarum et a polo et a vertice, problema erat, quod Reichenbachius circulo suo meridiano solvit. *)

Axis circuli meridiani est ex orichalco exiens in duos polos cylindricos ex chalybe, qui in-

*) Attentione dignum videtur eodem fere tempore etiã cel. Repsoldium eandem ideam concepisse, circulumque meridianum construxisse, qui jam est Goettingae, similibus gaudentem virtutibus. Roemerus vero jam ante seculum construxerat rotam suam meridianam, qua tam ascensiones quam declinationes observabat. Vide Horrebowii opera Vol. III, p. 154. Mirum sane est per centum annos neglexisse astronomos et artifices viam a Roemero patefactam, quam si ingressi essent, non dubitari potest, quin magno emolumento fuisset astronomiae practicae.

fulcris quiescunt columnis saxeis affixis. Medium axem obtinet cubus perforatus, cui ex lateribus oppositis tubi duo per cochleas sunt juncti in directione in axem normali. Quorum alter lentem objectivam in se suscipit, alter tubulum ocularem una cum lamina, quae fila tenet, quinque verticalia, duo horizontalia. Illa 20 secundis temporis, haec, quae stellam observandam in medium spatium suscipiunt, 8 secundis arcus inter se distant. Tubuli ocularis situs ita mutari potest, ut fila ad unguem in foco lentis objectivae figantur. Alter motus ipsius est gyratorius, quo filis horizontalibus justus concilietur situs; tertius est laminae in utrumque latus ad collinationem per filum medium verticale ita corrigendam, ut sit in lineam per medios polos perpendicularis. Vectes duo pondera ferentes, cubo medio affixi, ita agunt, ut flexio utriusque tubi suo ex pondere seu nulla seu minima tantum sit.

Telescopium habet $5\frac{1}{2}$ pedes in longo, lentis objectivae est diameter 48 lin. Par., distantia focalis 5 ped. et 5 lin. Par. Ocularia vitra sunt quatuor, amplificantia 65, 94, 125 et 178 vices, ut per projectionem est cognitum. Oculari vero maximae amplificationis semper fere utor, nisi in objectis debilissimis observandis. Axi situs horizontalis conciliatur per libellam suspensoriam. Ex his novisti instrumentum nostrum esse tubum culminatorium perfectissimum, ea etiam ratione quod, mutata, quoties placet, polorum in fulcris positione, duplici modo ascensiones rectas constituit.

Corpori orichalcino axis ex altera extremitate circulus integer diametri trium pedum per cochleas complures ita est affixus, ut centrum ipsius sit in linea per medios polos. Circulus hic divisionem habet in limbo argenteo lineolis subtilissimis exaratam ad terna minuta prima. Secundus circulus, cui sunt quatuor indices divisi, qui Nonii vocantur, polo chalybeo ibi conico ita per foramen concentricum ejusdem formae inhaeret, ut indices in eodem plano sint verticali cum limbo diviso. Per Nonios hos alternae secundae immediate leguntur, exercitatus vero scrupulum dimidiae secundae facile agnoscit. Lectio per microscopia fit simplicia distantiae focalis pollicis, quorum axis 45 gradibus in planum divisum inclinatus est. Hinc, cum circuli divisi superficies tantillo promineat supra circum indicem, intervallum minimum illud inter utrumque circum, quod oculo armato vix agnoscitur, in microscopiis illis omnino disparet. Brachium crassum orichalcinum 18 pollices longum circum indici prope foramen est conjunctum, quo ad clavum magni ferreum pollice crassiorem, qui ipsi saxo est immissus, figatur. Efficitur hoc opera cochleae chalybeae micrometricae, cujus caput clavo insidet, matrix vero in brachio est. Hinc circum index immobilis redditur, si circum divisus cum axe in gyrum movetur, situsque ipsius per cochleam corrigi potest. Libella vero perfectissima dia-

metro circuli indicis horizontali affixa eo inservit, ut quaevis in situ ipsius variatio, oriunda seu ex positione saxorum mutata, seu ex motu axis foramen transeuntis, et cognoscatur lecto statu bullae et per cochleam, si placet, emendari possit. Brachium alterum est e regione in altero corporis axis termino; cujus pars superior est cylindrus excavatus axem amplectens. Magna vero cochlea pressoria per hoc brachium ita transit, ut ad axem firmissime adigi possit. Tum in extremitate inferiore brachii per cochleam micrometricam, secundo clavo ferreo, in saxum hujus lateris immisso, insidentem, motus axis et circuli divisi cietur lenissimus. Quo itaque modo uterque circulus ita ad lapidem figitur, ut nulla sit in peripheria tensio, nec, si movetur circulus divisus, flexio ulla radiorum possit locum habere.

Instrumentum ita compositum in fulcris insidet, cum ipsis saxis conjunctis. Methodus hujus conjunctionis in nostro instrumento ab ea, quae in ceteris speculis, quibus idem est instrumentum, adhibebatur, differt. Lapis enim noster syenites (Granit) tam durus et fragilis inveniebatur, ut nec prope superficiem perforari posset in usum illuminationis nec exsecari. Necessarium ideo erat instrumentum ita ponere, ut axis medius esset dimidio fere pollice altior superficie saxorum. Parallelepipedum orichalcinum itaque in ipsa superficie utriusque lapidis ad marginem figebatur 6 cochleis chalybeis, quarum matrices in saxum gypso erant immissae. Huic parallelepipedo e latere verticali interno adhaeret jugum orichalcinum, quod fulcrum poli in se suscipit; in superficie stat columna 19 pollices alta. Medium parallelepipedum est perforatum, ut lumen transeat lampadis. Columnae sunt hypomochlia vectium, qui pondera ad librationem totius instrumenti agentia ferunt. Pondus unum tollit dimidiam partem axis et tubi alterumque brachium, secundum e regione maximum rursus dimidiam partem axis et tubi nec non circulum divisum; tertium minimum, in eadem columna suspensum cum maximo, fulcit circulum indicem, ut in axi haereat tantum, non vero in eum premat. Hinc, cum vectes majorum ponderum brachia gerant verticalia ad corpus axis rotas adigentia, motus gyrotorius totius instrumenti in his ipsis rotis minima frictione fieri debet, et lenissime tacto seu tubo seu radio aliquo circuli divisi perficitur. Haec tria pondera vero ad unguem instrumentum integrum ex fulcris tollunt. Exiguum jam utrimque adpositum pondus in vecte parvo, qui fulcro est junctus, suspensum, ita agit, ut tutus sit instrumenti in fulcris situs, et uterque polorum, cum fulcra exeant in superficies sub angulo 60 graduum convergentes, tribus directionibus aequali modo prematur. Hae fulcrorum superficies sunt paululo convexae, ut polos uno tantum puncto tangant; et est itaque distantia fulcrorum ex his punctis 31 poll. 2,6 lin. Par., longitudine

VI

axis $32\frac{1}{2}$ pollicum minor. Fulcrum vero orientale per duas cochleas oppositas jugum transeuntes in directione horizontali movetur, unde correctio ad meridianum fieri potest. Fulcrum occidentale per singulam cochleam chalybeam, ex parte jugi inferiore agentem, tolli demittique potest, ut justus fiat situs axis ad horizontem.

Harum cochlearum passus singulus est 0,228 lin., atque, pro distantia fulcrorum in punctis polos tangentibus, motum instrumenti $126''{,}2$ arcus efficit. Facili itaque negotio motus instrumenti ad particulas secundae assequeris. Cum vero cochleae verticalis chalybeae caput globosum in jugo orichalcino, quod fulcrum suscipit, fixum esset, suspicio mihi est orta, nonne ex diversitate metallorum actio aliqua thermometrica in situm axis horizontalem oriri posset. Media enim cochlea a medio capite distat 20,0 lineis; unde sequitur pro singulo gradu thermometri Reaumuriani actio ex diversitate metallorum $= \frac{20,0}{374,8} \cdot 0,00000783 = 0''{,}086$ arcus. Qui effectus $\frac{1}{15}''$ arcus pro quovis gradu, si differentiae sunt, quae interdum occurrunt, 12 graduum inter temperaturas intra 24 horas, situm axis integra secunda mutare debet. Idoneum itaque duxi inde a die 10 Jan. 1823 capitis hujus cochleae globosi, post correctum axem, cochleas pressorias ita relaxare, ut nulla amplius actio thermometrica locum haberet, fulcrumque in jugo sola teneretur frictione.

Libella suspensoria ad corrigendum axem instrumenti inserviens est praestantissima. Tubus vitreus undique liber in duobus subiculis in rectangulum exsectis jacet, in quibus a parte superiore per lamellam elasticam tenetur. Situs tubi vitrei ita potest corrigi, ut axis ipsius cum axi polorum, quibus inhaeret, in eodem plano sit; unde secunda libella transversa non opus est. Hami, quibus suspensio fit, sunt rectangulares.

Filorum illuminatio hoc modo efficitur. Polus circulo oppositus est perforatus. Tubus orichalcinus cylindricus diametri pollicis interne politus in saxi superficie ita quiescit, ut axis sit in prolongatione axis instrumenti. In extremitate hujus tubi, quae trans saxum prominet, haeret laterna, cujus lumen ipso tubo collectum in axem instrumenti immittitur, et per speculum inclinatum in cubo medio fixum reflectitur ad focum. Forfex in jugo applicata, qua foramen poli claudi potest, ad lumen moderandum inservit, et per manubrium ad commoditatem regitur. Cum proximus illius tubi illuminatorii finis pluribus etiam pollicibus a parallelepipedo primario, quo totum instrumentum saxo jungitur, distet, et undique aëre libero sit circumdatus, nullus calor ex lampade in cylindro acervati potest esse effectus in fulcra situmque instrumenti. Quod mihi videtur emolumentum esse non con-

temnendum methodi, qua conjunctio partium metallicarum cum saxo non e latere sed e superficie est facta.

Recte monuit cel. Besselius curandum esse, ut utrumque saxum et partes metallicae semper eodem modo eodemque pondere, etiam transposito instrumento, premantur. Aliter enim de polorum diametris aequalibus nullam disquisitionem institui posse. Quod quidem ingeniose novo adhibito vecte novum pondus ferente assecutus est. Aliter idem perficere studui. Expertus eram pondus absolutum, quo columna ex ea parte, qua circuli in axi insident, premitur, 119 $\frac{1}{2}$ libris Rossicis excedere. Quadrum comparavi, quod columnae oppositae imponatur, quo suspenduntur jam duo cylindri orichalcini plumbo impleti, aequalem pressionem in axem columnae ita exercentes, ut pondus una cum quadro par sit numero librarum supra dicto. Cylindri hi, ut facili negotio imponantur, sunt dissecti, et per partes tractantur. Ex negligentia mechanici nostri vero hi cylindri tantum inde ex die 12 Octobris 1823 in usum venere.

Apparatus auxiliaris maxime idoneus ad situm instrumenti mutandum ita est constructus, ut transpositio sine ullo periculo fiat, parvoque temporis spatio. Nec unquam instrumentum pondus suum in fulcra polosve exercet, cum pondera ad libramentum inservientia agant donec axis e fulcris sit sublatus, et denuo vim exercent antequam, reposito iastrumento, poli fulcra tangant. Unde ratum est nullam per transpositionem instrumenti in fulcrorum situ oriri posse mutationem.

Restat ut nonnulla de positione columnarum saxearum dicam. Exemplum scrupulosae positionis dedit rursus astronomus Regiomontanus, quod, quantum potuimus, imitati sumus, nonnulla mutantem. Fundamentum, in quo columnae stant, una cum domo speculae ipso jam ante hos 15 annos jactum, est pyramis truncata ex saxis constructa; cujus superficies est quadratum 12 pedum fere. Situm constantem hoc fundamentum, quod 14 pedes fere altum est, cum per cumulum, cui insidet specula, transeat ad solum pristinum, jam demum accepisse non dubitari potest. Simili in fundamento tubus noster octipes culminatorius stat. Experientiae vero, quas observationes plurium annorum dederant, docuere hujus instrumenti situm nullo modo ex vicissitudinibus temperaturae, quatenus in columnas liberas et partes metallicas agant, affici. Rigidissimum vero frigus, per longius spatium durans, ideoque in terram circumjacentem agens, liquescensque denuo tempore vernali soli humor situm totius fundamenti quodammodo afficere videbatur ex pressione laterali mutata (vide Vol. I. p. XXIX; Vol. II. p. XVI; Vol. III. p. XXVIII). Hae itaque meae etiam experientiae maximopere adhortabantur, ut cautelam eandem adhiberem, qua similem affectionem

VIII

cel. Besselius evitare conatus est. Ad profunditatem itaque 4 pedum fundamentum totum cinxi muro latericio duobus pedibus distante, unde spatium vacuum inter fundamentum et murum oriretur. Neque tamen hoc septum solum sufficiens habui, cum non viderem quomodo frigus arceat ne in terram agat substratam. Idoneum itaque duxi spatium illud vacuum materie implere, quae et frigus arceret, nec ullo modo pressionem efficere posset, hoc est stramento. Qua via jam ratum habeo, soli circumjacentis circa fundamentum humores ne rigidissima quidem hieme congelari posse. Experientiaque postea docuit situm circuli meridiani multo constantiorem esse quam tubi culminatorii, qui tamen in aequali fundamento stat, non vero septo stramento muroque. Ex Finlandia nobis advecta fuere saxa tria, ex rupe nativa syenite eodem loco excisa. Maximum horum 7 pedes longum, duos latum et 14 pollices altum incumbit ipsi fundamento in directione primi verticalis. Positum est ad libellam, et pondere suo incumbens undique lateribus calce circumpositis est munitum. Nam ferro conjunctionem arctiorem inter saxum et fundamentum efficere ob actionem thermometricam nolimus. Hujus saxi superficies in regionibus, ubi columnae erant imponendae, ad pollices quatuor est excavata. Columnae jam, quae habent $6\frac{1}{2}$ pedes in alto, 18 pollices in directione meridiani et $15\frac{1}{2}$ pollices in dimensione tertia, his locis impositae, et pondere suo stantes firmissime, gypso sunt in excavatione circumfusae. Jam 5 pedes et 10 pollices prominent ex tabulato, quod in trabibus jacet, quae nullibi fundamentum tangentes in muro circumstructo insident. Nec ullus est tabulati cum columnis saxeis contactus.

Duplici examini instrumentum suum subiecit cel. Besselius, alteri pro ascensionibus rectis determinandis, alteri quoad declinationes et distantias a vertice. Eandem fere viam pro viribus ingressi sumus. Atque prodire nobis ex hac disquisitione elementa absoluta ad reductiones observationum culminationum, et fides, respectu ascensionum rectorum et temporis, instrumentum nostrum nil desiderandum relinquere. Quasnam vero det stellis primariis declinationes, quaenam vera inde sequatur poli elevatio, in insequentium voluminum praefationibus exponere speramus; et in hoc ea tantum afferemus elementa, quae, ex ipso instrumento et observationibus directe in coelo institutis accepta, ad primam valent reductionem declinationum et cognitionem latitudinis speculae praevidiam.

Elementa ad reducendas observatas stellarum culminationes.

Libella suspensoria.

Superficies tubi vitrei in singulas lineas parisinas est divisa, ad quas status bullae legitur. Scalae pretium constitui opera cochleae, qua fulcri occidentalis motus fit verticalis. Simplici adhibito adparatu revolutionem ipsi datam ad partes gradus peripheriae noscere valebam. Cum passus integer sit $126''{,}2$, pro motu singuli gradus inclinatio axis = $0''{,}3505$ mutatur. Haec jam accipi, si p est angulus, quo pro motu bullae lineae unius inclinatio mutatur:

1823 10 Jan. ex tribus seriebus $p = 1''{,}957$; longitudo bullae = $92,0$ partes; therm. = $-4^{\circ},0$ R.
 — 4 Sept. ex duabus — $p = 2''{,}114$; — — — = $52,3$ — — — = $+11^{\circ},3$ —

Nullum dubium est, quin p cum temperatura seu longitudine bullae tantillo mutetur. Ex combinatis observationibus sequitur p pro quavis longitudine bullae x partium, seu pro $L = xp$, ita:

$$p = 2''{,}080 + (60 - x) 0''{,}00446; \text{ unde deducitur:}$$

$$\text{Pro } L = 120 p; \quad p = 1,81$$

$$110 \text{ — } 1,86$$

$$100 \text{ — } 1,90$$

$$90 \text{ — } 1,95$$

$$80 \text{ — } 1,99$$

$$70 \text{ — } 2,04$$

$$60 \text{ — } 2,08$$

$$50 \text{ — } 2,12$$

$$40 \text{ — } 2,17$$

$$30 \text{ — } 2,21$$

$$20 \text{ — } 2,26.$$

His numeris est utendum ad inclinationes axis, quae in diario per partes scalae sunt notatae, in secundis arcus cognoscendas, quem in finem semper longitudo bulla, per formulam $L = xp$ expressa, adscripta invenitur. Ita exempli gratia die 16 Septembris 1823 erat longitudo bullae in prima observatione $50,0$ at post instrumenti transpositionem $49,6$ partium. Alteram etiam formulam adscriptam diario invenies, ita hoc ipso die $M = 52,92 p$ et postea $M = 53,27 p$. Qua exprimitur locus scalae, qua parallela cum linea apices hamorum rectangularium jungenti superficiem

vitri internam tangere cogitur. Qui locus est medium arithmeticum inter locos mediae bullae in duabus positionibus libellae oppositis. Animadvertas numeros scalae a 0 ad 120 procedere ex manu sinistra ad dextram, si ex ea stas parte, unde suspensio est facta. Nil quidem hinc ad observationes reducendas derivatur; at non alienum est scire, quatenus mutetur cum tempore relatio tubi vitri et apparatus suspensorii. Ita exempli gratia M nostrum constantissimum invenies inde a die 5 Febr. ad 19 Mart. per 6 septimanas saepius observatum, quamvis temperaturae et bullae longitudo sint diversissimae. Nam observatum est:

1823.	5 Febr.	M = 60,80 p;	L = 122,0 p.
	7 —	60,20 —	110,5 —
	11 —	60,52 —	104,0 —
	17 —	60,75 —	89,8 —
	19 —	60,68 —	99,0 —
	12 Mart.	60,47 —	82,0 —
	12 —	60,54 —	80,0 —
	19 —	60,47 —	78,0 —
	19 —	60,62 —	77,0 —

Omnia vero pretia M per spatium 14 mensium examinanti apparet, haec nullo modo a longitudine bullae pendere, at continuo decrevisse. Quo deduci posse videtur temperaturam in situm tubi vitrei nil agere, sed ex repetita suspensione in altero hamo, scilicet dextro, mollis orichalci plus deteri quam in sinistro, unde cum tempore brachium illud longius fieri debeat videri.

Figura polorum.

Duo sunt in natura instrumenti meridiani, ex quibus pendeat praecisio ascensionum rectarum observatarum, forma nempe polorum rotunda et constantia anguli inter lineam collimationis et normalem in axem revolutionis. Sunt certe artificibus auxilia perfectissima ad formam cylindricam tam polis conciliandam quam examinandam. Astronomo eadem probatur et per libellam suspensoriam et per ascensiones rectas, quae ex observationibus supra et infra polum et in utroque instrumenti situ eadem evadere debeant. Besseli exemplum sequentes in nostro instrumento inclinationes axis ita determinavimus saepissime, ut tubus per vices in horizontem borealem et australem esset directus. Sic constans manifestata est differentia exigua, qua inclinatio, positiva assumpta pro

polo occidentali altiore, in directione tubi in horizontem australem (A) major semper fuerit quam in directione in boream (B). Haec sunt quae accepimus:

Circulo ad Occidentem.

Circulo ad Orientem.

1822.	14 Nov.	A = B + 0,55 p.
	7 Dec.	+ 0,14 —
1823.	11 Febr.	+ 0,37 —
	19 —	+ 0,15 —
	11 Mart.	+ 0,26 —
	19 —	+ 0,08 —
	7 April.	+ 0,24 —
	27 —	+ 0,35 —
	9 Maj.	+ 0,21 —
	23 —	+ 0,07 —
	30 —	+ 0,14 —
	3 Sept.	+ 0,26 —
	16 —	+ 0,09 —
	21 —	+ 0,18 —
	1 Oct.	+ 0,25 —
	6 —	+ 0,05 —
	12 —	+ 0,33 —
	23 —	+ 0,22 —
	3 Nov.	+ 0,25 —
	21 —	+ 0,27 —
	25 —	+ 0,14 —
	17 Dec.	+ 0,12 —
Medium ex 22 obs.		A = B + 0,214 p.
		cum errore probabili $\epsilon'' = 0,016$ p.

1822.	7 Dec.	A = B + 0,37 p.
1823.	17 Febr.	+ 0,38 —
	11 Mart.	+ 0,28 —
	19 —	+ 0,12 —
	7 April.	+ 0,36 —
	9 —	+ 0,40 —
	19 —	+ 0,06 —
	20 —	+ 0,36 —
	27 —	+ 0,09 —
	9 Maj.	+ 0,19 —
	23 —	+ 0,08 —
	3 Sept.	+ 0,20 —
	5 —	+ 0,33 —
	16 —	+ 0,00 —
	21 —	+ 0,23 —
	1 Oct.	+ 0,18 —
	6 —	+ 0,20 —
	8 —	+ 0,25 —
	12 —	+ 0,12 —
	4 Nov.	+ 0,21 —
	21 —	+ 0,34 —
	19 Dec.	+ 0,24 —
ex 22 obs.		A = B + 0,231 p.
		$\epsilon'' = 0,016$ p.

Ex utraque serie provenit:

$$A = B + 0,222 p = B + 0'',462$$

cum errore probabili $\epsilon'' = 0,011 p = 0'',023$, quod pretium pro certissimo est habendum. Cl. Bes-

selius in suo instrumento invenit discrimen ejusdem magnitudinis sed signi oppositi, nimirum $A = B - 0,194 p = B - 0'',419$. De cujus origine ita judicavit Vol. 6. p. VII:

„Non probabile est parvum hoc discrimen ex defectu in forma cylindrica polorum originem trahere, sed inde, quod polorum axes non ad amussim sunt in eadem linea recta. Puncta polorum, quae fulcra tangunt, ab iis, in quibus libella suspenditur 9 lineis distant, unde angulum 9'' tantum inter axes polorum assumamus opus est ad discrimen hoc explicandum. Quae si vera est caussa, medium inclinationum in utraque directione tubi acceptarum errore omnino est vacuum.“

Nullus dubito hoc iudicio suffragari, unum vero addam. Ex operatione mechanica in elaborandis polis angulus quamvis exiguus inter polorum axes explicari non potest. Sed suspicio est adactionem circuli divisi ad corpus axis opera complurium cochlearum satis magnarum, quae non sine vi in matrices intrant, axem tantillo flexisse.

Sequitur ex pretiis singulis cum medio comparatis singulae differentiae inter A et B error probabilis $\epsilon'' = 0,078 p$. Pro inclinatione itaque ex medio in utraque directione deducta est $\epsilon'' = 0'',055 p = 0'',114$ arcus. Notandum etiam, si in una tubi directione tantum inclinatio est observata, correctionem esse adhibendam hanc:

tubo in Boream directo, seu pro B, $+ 0,111 p$.
 — — Austrum — — — A, $- 0,111 p$.

Diametri polorum.

Differentia diametrorum polorum ex inclinationibus axis in utraque positione instrumenti collatis accipitur. Conditio vero necessaria est, in fulcrorum situ per transpositionem nil mutari, ideoque pondus in utrumque lapidem partesque metallicas agens idem manere. Hoc inde a die 12 Octobris 1823 demum assecuti sumus novo adhibito pondere 120 librarum Rossic., ejus supra mentio est facta. Ut vero etiam priorum inclinationum comparationes in usum vocari possent, opus erat, ut hujus ponderis actio in situm unius cujusque fulcri examinaretur. Quod examen diebus 29 Octob. et 4 Novemb. ita institutum est, ut legeretur locus mediae bullae in scala inposito pondere, et denuo demto pondere, per plures vices.

29 Octobris.

Actio ponderis in columna orichalcina *orientali* suspensi ita cognita est:

Tempus horolog.:	Pondere:	Media bulla ad:	Tempus horolog.:	Pondere:	Media bulla ad:
14 h. 0'	imposito	53,40 p vers. Occ.	16 h. 24'	imposito	51,30 p vers. Or.
— 7	demto	53,17 — — —	— 44	demto	51,55 — — —
— 17	demto	53,10 — — —	17 h. 1	imposito	51,20 — — —
— 29	imposito	53,40 — — —	— 32	demto	51,50 — — —
— 36	imposito	53,27 — — —	— 45	imposito	51,22 — — —
— 50	demto	53,07 — — —			
15 h. 40	demto	53,00 — — —			
16 h. 0	imposito	53,22 — — —			
Medium imposito pondere 53,33 p vers. Occ.			51,24 p vers. Or.		
demto — 53,08 — — —			51,52 — — —		
Differentia 0,25 p.			0,28 p.		

Media differentia est 0,265 p, qua, imposito pondere in columna orientali, fulcrum orientale deprimitur.

4 Novembris.

Actio ponderis in columna *occidentali* suspensi ita est cognita:

Tempus horolog.:	Pondere:	Media bulla ad:	Tempus horolog.:	Pondere:	Media bulla ad:
18 h. 45'	imposito	49,95 p vers. Occ.	19 h. 45'	demto	54,62 p vers. Or.
19 h. 0	demto	49,575 — — —	20 h. 0	imposito	54,25 — — —
— 13	imposito	49,975 — — —	— 40	imposito	54,275 — — —
— 26	demto	49,60 — — —	21 h. 0	demto	54,60 — — —
			— 25	imposito in	
				lapide	54,57 — — —
			— 43	denuo in co-	
				lumna	54,25 — — —
Medium imposito pondere 49,962 p vers. Occ.			54,258 p vers. Or.		
demto — 49,587 — — —			54,610 — — —		
Differentia 0,375 p.			0,352 p.		

Media differentia est 0,364 p, qua, imposito pondere in columna occidentali, fulcrum occidentale deprimitur. Postremae tres vero observationes probant, pondus in lapide impositum

XIV

nil efficere. Est itaque depressio fulcri ex compressione partium metallicarum oriunda non vero saxi. Collatae jam inclinationes ante et post transpositionem instrumenti usque ad diem 12. Octobris, majora semper praebent pretia circulo ad Orientem verso J, quam J' ad Occidentem verso. Sit $J - J' = x'$, habemus:

1822.	7 Dec.	$x' = + 1,51$ p.
1823.	11 Mart.	+ 1,08 —
	19 —	+ 1,20 —
	7 April.	+ 1,37 —
	27 —	+ 2,02 —
	9 Maj.	+ 1,28 —
	23 —	+ 1,14 —
	3 Sept.	+ 1,39 —
	16 —	+ 1,33 —
	21 —	+ 1,13 —
	1 Oct.	+ 1,15 —
	6 —	+ 1,12 —

Per medium $x' = + 1,51$ p, cum $e'' = 0,047$ p.

Hoc x' eget jam correctione ob depressionem fulcrorum $\xi = - (0,265 \text{ p} + 0,363 \text{ p}) = - 0,63 \text{ p}$; erit itaque $x = x' + \xi = + 0,88 \text{ p}$, quo, si aequalia manent per transpositionem pondera, inclinatio major apparet in situ circuli ad Orientem.

Tutius foret hoc x ex observationibus post 12 Octobris cognoscere, postquam pondus illud 120 librarum in usum venit. Sed sunt tantum tres hae:

1823.	3 et 4 Nov.	$x = + 0,60$ p.
	21 —	+ 0,73 —
	17 et 19 Dec.	+ 0,47 —

Ut majori fide cognoscamus x , in auxilium vocamus etiam observationes anni 1824, quae, cum haec scribo, jam institutae sunt:

1824.	20 et 21 Jan.	$x = + 0,43$ p.
	2 Mart.	+ 0,71 —
	17 —	+ 0,82 —

1824.	24 Mart.	$x = + 0,60$	p.
	1 April.	$+ 0,60$	—
	17 —	$+ 0,48$	—
	24 Maj.	$+ 0,38$	—
	15 Jun.	$+ 0,48$	—
	31 Aug. et 1 Sept.	$+ 0,33$	—
	10 —	$+ 0,51$	—
	19 —	$+ 0,25$	—
	23 et 24 —	$+ 0,40$	—
	1 Oct.	$+ 0,19$	—
	8 —	$+ 0,47$	—

Medium ex utroque anno $x = + 0,497$ p, cum $\varepsilon'' = 0,027$ p.

Duo pretia, $x = + 0,68$ p et $x = + 0,497$ p, satis bene conveniunt, at hoc $x = + 0,497$ p est multo tutius, cum $\xi = - 0,63$ p ex singularum dierum observationibus pendeat, et accuratius foret constituere ξ ex differentia inter x et x' , per $(0,497 - 1,310)$ p = $- 0,813$ p, quae est actionum ponderis 120 librarum in utrumque fulcrum summa. Si p est per medium = $2'',08$, habemus $x = + 0,497$ p = $+ 1'',034$.

Est itaque polus ex parte circuli divisi minoris diametri. Atque cum fulcra sub angulo 60 graduum, hami libellae suspensoriae sub recto coeant, et distantia fulcrorum sit = 374,6 lin. par.: accipimus differentiam inter radios polorum:

$$\rho = \frac{1}{4} x (2 - \sqrt{2})^*) = 0,1464 x = 0,073 p = 0'',152 \text{ arcus};$$

seu in partibus lineae $\rho = 0,152 \cdot 374,6 \sin. 1'' = 0,000276$ lineae, cum $\varepsilon'' = 0,0000149$ lineae.

Hae sunt itaque correctiones adhibendae inclinationibus quales immediate ex lecta libella sequuntur:

$$\text{Circulo ad Occidentem } + \rho \sqrt{2} = + 0,103 p = + 0'',214 \text{ arcus.}$$

$$\text{— — Orientem } - \rho \sqrt{2} = - 0,103 p = - 0'',214 \text{ —}$$

Distantiae filorum verticalium a medio.

Distantiae hae, quae quam proxime sunt 40'' et 20'' temporis in aequatore, constitutae sunt

*) Confer. Obs. Regiom. Vol. 6. p. VIII.

XVI

per culminationes stellae polaris. Eam vero ingressus sum viam, ut, suppositis distantis $40'',0 + x$; $20'',0 + x'$, $20'',0 + x''$ et $40'',0 + x'''$, intervalla stellae polaris pro $40'',0$ et $20'',0$ in tabulam redigerem ad singulas secundas declinationis computatam. Observata deinde intervalla cum tabula contuli, unde pro quovis filo tot prodierunt correctiones, quot erant ad ipsum et medium observationes in eodem transitu.

Ita ex observationibus a die 26 Octob. ad 27 Nov. 1822 accepi haec intervalla pro aequatore *):

40'',084 20'',050 19'',957 40'',087.

In quibus acquievi pro toto spatio ad diem 1 Martii 1823 usque, cum omnes observationes ad finem hujus periodi usque dedissent:

40'',090 20'',032 19'',957 40'',088.

Die 1 Martii nova fila induxi II et III. Ex observationibus ad finem mensis Maji usque inveneram intervalla:

40'',150 20'',032 19'',905 40'',032.

Quae pro omnibus hujus anni observationibus reducendis adhibui, cum ex Polari usque ad finem anni observata eadem sequerentur:

40'',143 20'',033 19'',900 40'',028.

Quanta praecisione et constantia gaudeant haec intervalla, elucet etiam eo, quod distantiae inter fila non mutata in duabus periodis ita evadant:

	I et V.	I et IV.	IV et V.
ex priore periodo	80'',178	60'',047	20'',131
in posteriore —	80'',171	60'',043	20'',128
Differentiae	0'',007	0'',004	0'',003.

Ex 141 intervallis stellae polaris cum tabula collatis inveni errorem probabilem singuli appulsus hujus stellae = $0'',556$ temporis. Pro stella in aequatore accepi ex 100 appulsibus in calculum vocatis eundem errorem = $0'',0735$. Si jam a est error probabilis auditus, 15 b vero visus: sunt nobis duae aequationes:

$$\begin{aligned} \sqrt{a^2 + b^2} &= 0'',0735 \text{ et } \sqrt{a^2 + 35,2^2 b^2} = 0'',556; \\ \text{unde } a &= 0'',0718, \text{ b} = 0'',0157, \text{ seu } 15 \text{ b} = 0'',236. \end{aligned}$$

Pro observationibus nostris ad tubum culminatorium invenerat Walbeckius (Ephem. Ber. 1823, p. 185)

*) Filum primum est ad quod stella in culminatione superiore primum accedit, circulo ad Occidentem verso.

$a = 0'',0744$ et $15 b = 0'',304$. Idem est itaque per utrumque instrumentum ad idem horologium error probabilis auditus, major vero in tubo circuli meridiani acies visus, quam in egregio octipede Dollondino. At major etiam in illo est amplificationis vis = 178, quam quae in tubo culminatorio = 132 adhibita est.

Error collimationis fili medii in tubi directione horizontali.

Opera signi meridiani error collimationis est determinatus non per Polarem, cum transpositio instrumenti, si caute fiebat, nimium temporis posceret, quam ut stella in utroque situ instrumenti ad plura fila observaretur. Signum hoc meridianum die 23 Jan. 1825 est positum, et quidem ligneum, cum ob tectum recens praestructum in colle opposita ei, cui injacet specula, altitudinis supra solum majoris deberet esse. Curam vero habui maximam, ut ita extrueretur, ut nullae seu perexiguae tantum possent esse in situ variationes; id quod experientia per annum integrum comprobavit. Distat hoc signum a specula 2003 hexapedis par., et in horto rustici situm infestationibus non est expositum. Pluteo verticali inhaeret jam tabula quadratica illa Besseliana (Vol 6. p. XII.), ad quam deviationes fili medii a medio signo ad singulas secundas cognoscuntur, et favente aere ad $\frac{1}{4}''$ tuto aestimantur. In nostra vero tabula singula quadrata alba in fundo nigro in utraque directione sunt quatuor secundarum. Ingratum vero post exstructum signum erat videre, tutam lectionem saepius ob fumos, ex fumariis magni aedificii Universitatis nostrae, e valle urbis prominentis, transvolantes, impediri, praesertim vento ab occidente flante; ita ut, tempore praecipue hiemali, Eurus esset expectandus ad transpositionem instrumenti, ne deessent bonae signi meridiani lectiones in utroque instrumenti situ. Nihilominus tamen ex bonis lectionibus errorem collimationis magna fide determinare nobis successit, nec tales experti sumus differentias, quas memorat Besselius Vol. 6. p. XVIII. Methodus itaque, quam astronomus Regiomontanus ideo sequendam putavit ad collimationis errorem tutius cognoscendum, minus nobis erat necessaria; et impedimento erat, quo minus a nobis adhiberetur, quod rarius tantum lectio signi nobis satis tuto succederetur. Haec jam sunt, quae accepi pro errore collimationis = 15 c, positivo si linea ad Orientem deflectit, circulo ad Occidentem verso:

		15 c =	Medium
1822.	26 Octob.	$0'',00^*$	} + $0'',09$ arcus.
1823.	23 et 27 Jan.	+ $0,38$	
	11 Febr.	— $0,12$	
	19 —	$0,00$	

1823.	12 Mart.	— 2",12	— 2",12 arcus.
	19 Mart.	— 0,50	} — 0",87 —
	4 et 7 April.	— 1,25	
	26 et 27 April.	+ 0,75	} 0",00 —
	9 Maj.	+ 0,12	
	23 —	— 0,12	
	16 Sept.	+ 1,12	} + 1",18 —
	21 et 23 —	+ 1,37	
	1 Oct.	+ 1,12	
	12 —	+ 1,12	
	3 Nov.	+ 1,75	} + 1",86 —
	21 —	+ 2,12	
	17 Dec.	+ 2,12	
1824.	21 Jan.	+ 2,00	
	2 et 3 Mart.	+ 1,75	} + 1",86 —
	17 —	+ 1,75	
	23 —	+ 1,50	

In hoc schemate linea transversa indicat situm medii fili ex industria esse mutatum. In sola ultima periodo inter diem 12 Octobris et 3 Novembris collimationem ultra variationem 0",7 arcus passam esse verisimile est. — Continuavi vero schema usque ad Martium 1824, cum primae hujus anni observationes etiam valerent ad collimationem pro fine anni 1823 rectius constituendam.

Quaeritur jam, num linea collimationis in omnibus tubi directionibus eundem angulum cum plano in axem normali efficiat. Quam disquisitionem primus cel. Pondius pro antiquo tubo culminatorio Grenoviciensi instituit. Pro tubo nostro culminatorio Dollondino inveneram lineam collimationis in directione tubi verticali 4",2 arcus occidentaliorem esse, quam in utraque directione horizontali. In circulo suo meridiano hanc variationem proxime = 0 esse invenit cel. Besselius, cum 0",112 arcus cum errore probabili 0",074 invenisset. Perexiguum fore et in nostro instrumento rati eramus pro eximia soliditate axis et actione ponderum, quae etiam axis flexionem impediunt. Si 15 b est inclinatio axis, positiva pro polo occidentali altiore, 15. α vero variatio lineae collimationis ad

Orientem, tubo in verticem directo, pro situ circuli ad Occidentem, δ declinatio stellae et z distantia ipsius a vertice: correctio tempori transitus observati adhibenda pro b et α exprimitur per formulam hanc, quae in nostro Vol. III. p. XXVIII exposita est:

$$\begin{array}{l} \underline{+} (b + \alpha) \cos. z \sec. \delta \text{ pro observatione directa} \\ \underline{+} (b + \alpha) \cos. z \sec. \delta \text{ — — — ex horizonte fluido} \end{array} \left. \begin{array}{l} \text{Signum superius valet in culminatione} \\ \text{superiore, inferius in inferiore.} \end{array} \right\}$$

Observatae vero nobis sunt interdum stellae polaris in eadem culminatione et directe visae et ex horizonte reflexae ad fila appulsus, pro qua si ponimus $\sec. \delta = 35,1$ atque $\cos. z = 0,866$ supra polum, et $= 0,836$ sub polo: erit nobis

$$\begin{aligned} \cos. z \sec. \delta &= 30,40 \text{ supra polum} \\ &= 29,34 \text{ sub polo.} \end{aligned}$$

Si jam t et t' sunt tempora appulsus, ad filum medium reducta, ex observatione directa et reflexa, sunt aequationes:

$$\begin{aligned} t + 30,40 (b + \alpha) &= t' - 30,40 (b + \alpha) \text{ in culminatione superiore} \\ \text{et } t - 29,34 (b + \alpha) &= t' + 29,34 (b + \alpha) \text{ — — — inferiore.} \end{aligned}$$

Unde si circulus est:

$$\begin{array}{l} \text{ad Occidentem } 15 (b + \alpha) \\ \text{— Orientem } 15 (b - \alpha) \end{array} \left. \right\} = \frac{t' - t}{4,0533} \text{ supra polum; } = \frac{-(t' - t)}{3,9120} \text{ sub polo.}$$

Haec jam sunt, quae accepimus ex observationibus annorum 1823 et 1824:

Circulo ad Occidentem.		$t' - t$	$15 (b + \alpha)$	$15 b$	15α
1823.	30 April. sub polo	+ 14,35	— 3,67	— 3,69	+ 0,02
	30 Oct. supra polum	+ 12,07	+ 2,98	+ 2,87	+ 0,11
1824.	6 April. sub polo	— 26,35	+ 6,74	+ 6,45	+ 0,29
	30 — — —	— 2,10	+ 0,54	— 0,19	+ 0,73
	2 Jun. — — —	— 3,30	+ 0,84	— 0,42	+ 1,26
Circulo ad Orientem.			$15 (b - \alpha)$		
1823.	14 Maj. sub polo	+ 15,67	— 4,00	— 2,62	+ 1,38
	15 — — —	+ 13,60	— 3,48	— 2,72	+ 0,76
	16 — — —	+ 12,55	— 3,21	— 2,80	+ 0,41
	20 — — —	+ 14,50	— 3,71	— 3,17	+ 0,54
	22 — — —	+ 17,68	— 4,52	— 3,35	+ 1,17

	Circulo ad Orientem	$t' - t$	$15 (b - \alpha)$	$15 b$	15α
1823.	7 Oct. supra polum	- 27,40	- 6,76	- 5,02	+ 1,74
	17 Nov. — —	+ 24,27	+ 5,98	+ 6,46	+ 0,48
	19 — — —	+ 22,50	+ 5,55	+ 6,84	+ 1,29
1824.	23 April. sub polo	- 19,90	+ 5,09	+ 5,97	+ 0,88
	3 Maj. — —	+ 2,05	- 0,52	+ 0,14	+ 0,66
	23 — — —	+ 0,48	- 0,12	+ 0,12	+ 0,24.
					Medium $15 \alpha = + 0,747.$

Singulam observationem 29 Aprilis 1823 rejeci, cum stella ad unum tantum filum esset observata ex horizonte, unde error inesse posset, et acceptum $15 \alpha = - 1'',60$ ab omnibus reliquis determinationibus signo discreparet. Pro singula determinatione ex 16 illis observationibus est error probabilis $0'',324$; atque pro medio $15 \alpha = + 0'',747$, idem $= 0'',081$ invenitur, unde de ipsa quantitate nullo modo possit dubitari. Novum argumentum hujus gravitatis in axem instrumenti nostri actionis posthac praebebunt distantiae signi meridiani a plano meridiano per observationes in utraque instrumenti positione.

Correctiones transitus stellarum per filum medium.

In volumine III. p. XXX exposui formulam hujus correctionis:

$$r = M + N \text{ tang. } d + c \text{ sec. } d \text{ in culminatione superiore}$$

$$r' = M - N \text{ tang. } d - c \text{ sec. } d \text{ — — — inferiore.}$$

In qua est c error collimationis in tempore, adhibita correctione $- 0'',011$ pro aberratione diurna; N accipitur ex distantia fili medii a polo $= 15 \Sigma$ per $N = \Sigma - c$; et $M = 1,624 N + 1,907 (b + \alpha)$. Distantia vero fili medii a polo coeli per solas stellas polares α et δ Ursae minoris est constituta. Hic jam sub uno conspectu ponam, quatenus quantitatibus, N , c et M pretia in singulis instrumenti periodis ad reductionem valuerint. Constantia vero situs instrumenti talis fuit, ut plura pretia N , in eadem periodo accepta, essent fere semper ita aequalia, ut idem N per totam periodum assumere liceret. Bis tantum levis variatio quantitatis N in eadem periodo apparuit. Nempe pro periodo a die 12 Octob. ad 3 Nov. 1823 est pro spatio a die 12 ad 14 Octob. $N = + 0'',353$; at inde a die 18 Octob. ad 3 Nov. est $N = + 0'',398$. Nec non pro periodo a die 21 Nov. ad 17 Dec. ejusdem anni erat initio $N = + 0'',552$, post diem 1 Dec. vero $N = + 0'',601$. Hae differentiae, quamvis $0'',045$ et $0'',049$ tantum, ea tamen fide ex observationibus prodire, ut nulli de

ipsis dubitationi locus esset. Quod vero numerum M attinet, majores paulo variationes subisse videmus. Instrumentum enim eandem a polo servans distantiam, inclinationes tamen et distantias a puncto meridiano horizontis tantillo mutavit per periodum. Idoneum itaque duxi pro quavis periodo M toties calculatum in schema suscipere, quoties inclinatio axis est observata. Semel tamen tantum variatio quantitatis M in eadem periodo ad $0'',4$ temporis adsurrexit, saepius minor est $0'',1$ temporis.

Tabula elementorum ad corrigendos stellarum transitus.

Periodus.	Circulus ad	c	N	M
1 8 2 2.				
26 Octob. ad 2 Nov.	Occ.	— $0'',005$	— $0'',292$	2 Nov. = + $0'',28$.
3 Nov. — 14 Nov.	Or.	— $0,017$	— $0,120$	3 Nov. = + $0,15$; 14 Nov. = + $0,53$.
14 Nov. — 7 Dec.	Occ.	— $0,005$	— $0,154$	7 Dec. = + $0,49$.
7 Dec. — 28 Dec.	Or.	— $0,017$	+ $0,006$	7 Dec. = + $0,38$; 28 Dec. = + $0,70$.
1 8 2 3.				
10 Jan. ad 23 Jan.	Or.	— $0,017$	— $0,415$	23 Jan. = + $0,58$.
24 Jan. — 11 Febr.	Occ.	— $0,005$	+ $0,226$	pro tota periodo = — $0'',50$.
11 Febr. — 19 Febr.	Or.	— $0,017$	+ $0,460$	11 Febr. = — $0,64$; 17 Febr. = — $0,56$.
19 Febr. — 28 Febr.	Occ.	— $0,005$	+ $0,386$	19 Febr. = — $0,59$.
1 Mart. — 12 Mart.	Occ.	— $0,152$	+ $0,469$	12 Mart. = — $0,63$.
12 Mart. — 19 Mart.	Or.	+ $0,047$	+ $0,489$	12 Mart. = — $0,64$; 19 Mart. = — $0,54$.
19 Mart. — 7 April.	Occ.	— $0,069$	+ $0,428$	19 Mart. = — $0,51$; 7 Apr. = — $0,52$.
7 April.	Or.	+ $0,047$	+ $0,501$	7 Apr. = — $0,53$.
8 April.	Or.	+ $0,047$	— $6,85$	
9 April. — 19 April.	Or.	+ $0,047$	+ $0,191$	9 Apr. = — $0,44$; 19 Apr. = — $0,23$.
19 April. — 27 April.	Or.	— $0,011$	+ $0,308$	20 Apr. = — $0,58$; 27 Apr. = — $0,56$.
27 April. — 9 Maj.	Occ.	— $0,011$	+ $0,225$	27 Apr. = — $0,71$; 9 Maj. = — $0,83$.
9 Maj. — 23 Maj.	Or.	— $0,011$	+ $0,309$	9 Maj. = — $0,87$; 23 Maj. = — $1,03$.
23 Maj. — 5 Jun.	Occ.	— $0,011$	+ $0,247$	23 Maj. = — $1,00$; 30 Maj. = — $1,08$.
20 Aug. — 22 Aug.	Occ.	— $0,011$	+ $0,192$	

P e r i o d u s.		Circu- lus ad	c	N	M
1 8 2 3.					
3 Sept.	— 16 Sept.	Or.	— 0,090	+ 0,210	5 Sept. = — 0,54; 16 Sept. = — 0,36.
16 Sept.	— 21 Sept.	Occ.	+ 0,068	+ 0,238	16 Sept. = — 0,51; 21 Sept. = — 0,46.
21 Sept.	— 1 Octob.	Or.	— 0,090	+ 0,284	21 Sept. = — 0,47; 1 Oct. = — 0,41.
1 Octob.	— 6 Octob.	Occ.	+ 0,068	+ 0,264	1 Oct. = — 0,45; 6 Oct. = — 0,51.
6 Octob.	— 7 Octob. *)	Or.	— 0,090	+ 0,336	6 Oct. = — 0,57.
7 Octob. **)	— 12 Octob.	Or.	— 0,090	— 0,052	8 Oct. = — 0,55; 12 Oct. = — 0,60.
12 Octob.	— 14 Octob.)	Occ.	+ 0,090	+ 0,353	12 Oct. = — 0,37.
18 Octob.	— 3 Nov.)			+ 0,398	23 Oct. = — 0,26; 3 Nov. = — 0,14.
3 Nov.	— 21 Nov.	Or.	— 0,135	+ 0,351	4 Nov. = — 0,15; 21 Nov. = + 0,25.
21 Nov.	— 26 Nov.)	Occ.	+ 0,173	+ 0,552	25 Nov. = — 0,71.
1 Dec.	— 17 Dec.)			+ 0,601	17 Dec. = — 0,56.

Distantia medii signi a plano meridiano.

Quotiescumque tam inclinatio axis observata quam eodem die fili medii a signo deviatio, singularem calculum distantiae signi a plano meridiano ad Occidentem = 15 A perfecimus, adhibito N, quale toti periodo convenit, et flexione axis $15 \alpha = + 0'',747$. Sit $15 a$ angulus inter punctum horizontis borealis meridianum et planum in axem instrumenti normale, positivus versus Occidentem: erit pro latitudine Dorpatensi $a = - 1,907 N + 1,624 (b \mp \alpha)$. Fiat $\psi = 15 (a - (c + 0'',011))$, ubi c est error collimationis, qui ad stellarum transitus corrigendos adhibetur: erit ψ deviatio fili medii instrumenti a puncto boreali horizontis. Et si x est ejusdem fili a signo distantia occidentalis lecta: habemus $15 A = \psi - x$. Haec sunt jam, quae in duabus instrumenti positionibus nobis evasere:

*) Usque ad 18 h. 56'.

**) Inde a 19 h. 18'.

Circulo ad Occidentem:			Circulo ad Orientem.		
1823.	27 Jan.	15 A = — 8",29	1823.	17 Febr.	15 A = — 8",15
	28 —	8,16		12 Mart.	8,82
	31 —	8,22		18 —	6,81
	4 Febr.	9,81		19 —	6,38
	5 —	8,97		7 April.	9,62
	7 —	8,32		20 —	8,78
	19 —	8,62		26 —	7,59
	12 Mart.	7,38		9 Maj.	10,82
	19 —	8,84		22 —	9,51
	1 April.	10,03		23 —	9,14
	7 —	9,57		16 Sept.	7,69
	27 —	7,53		21 —	9,35
	8 Maj.	9,43		23 —	9,20
	9 —	9,33		1 Oct.	8,14
	23 —	8,43		12 —	7,69
	28 —	8,90		4 Nov.	9,11
	30 —	8,18		Medium	— 8,55
	16 Sept.	10,05			
	21 —	8,41			
	1 Oct.	8,37			
	6 —	8,89			
	14 —	7,96			
	31 —	8,79			
	3 Nov.	9,04			
	17 Dec.	7,67			
	Medium	— 8,69			

Signum itaque meridianum sumto ex utraque serie medio est 8",62 ad Orientem a plano meridiano, cum errore probabili = 0",105.

Si $15 \Delta \alpha$ est correctio flexionis axis suppositae in calculis, ex comparatis duarum serierum mediis evadit aequatio:

$$- 8'',69 + 1,624 (15 \Delta \alpha) = - 8'',55 - 1,624 (15 \Delta \alpha);$$

unde sequitur $15 \Delta \alpha = + 0'',043$, cujus error probabilis est $0'',21$. Flexio itaque deducta ex observationibus stellae polaris directis et reflexis per distantias signi a meridiano prorsus confirmatur. Quod si nullam hujus flexionis habuissimus rationem, ex observationibus in altera circuli positione evaderet $9'',91$, in altera $7'',33$ pro distantia signi a meridiano, cum differentia $2'',58$.

Correctiones horologii.

Per duos primos menses diarii nostri transitus stellarum observati sunt ad horologium Brockbanksianum, de quo vide Vol. II. p. V et VI. Nescio vero quo fato horologium hoc per hoc spatium non meruit laudem ibi pronunciatam. Nec tam diu observassem ad hoc, nisi novum expectassem quotidie horologium Liebherrianum, cui locus ad circulum meridianum erat destinatus. Primo anni 1823 die novum accepi, statimque posui. At vero non sine moerore post aliquot dies expertus sum, horologium non omnino integrum esse; et die 17 Januarii iterum loco movi. Apparuit per disquisitionem scrupulosam ex anchorae gemma altera assulam diffissam esse, et dentem unam in rota primaria a ceteris in forma tantillum discedere, ut et sonus docuerat, quotiescumque dens haec anchoram tetigit. Culminationum itaque tempora ad medium Januarium usque observata eo tantum valent, quod per stellas fundamentales observatas poterunt corrigi, non vero ad has ipsas determinandas inservire poterunt. Die 18 Jan. horologium nostrum Hubertianum pone Circulum meridianum posui, quod non statim fecisse sat poenituit, idque veterem laudem denuo probavit. Quod scilicet horologium inter motum diurnum et nocturnum nullum pati discrimen, quae est virtus maxima horologii ad stellarum ascensiones determinandas, in Vol. III. p. VII est expositum.

Sequens jam tabula continet correctiones horologiorum ex singularum stellarum fundamentalium observationibus ita, ut exhibeat $C + M$, si C est correctio integra horologii, M vero pars constans pro correctione instrumenti in omnibus stellis. Unde si tempus justum siderale quaeris, numerus hujus tabulae quantitate M , quae in schemate p. XXI. exhibetur, est minuendus. Ascensiones vero rectae sunt suppositae ex tabulis auxiliaribus cel. Schumacheri, ita ut correctiones nintantur in catalogo fundamentalis Regiomontano. (Obs. Reg. Vol. 5.)

In hoc schemate numeri uncis inclusi ex culminationibus stellarum borealium, Capellae, α Lyrae et α Cygni, inferioribus pendent. Linea transversa ducta est simplex, quoties instrumenti situs mutatus est, unde novum M sit adhibendum; duplex vero, quoties in horologio ipso aliquid mutavi.

1 8 2 2.

Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	
Horologium Brockbanksianum.			Nov. 13.	h. ' "		Nov. 26.	h. ' "		Dec. 12.	h. ' "		
				0 4 +	10,06		22 49 -	39,04		22 49 -	121,73	
				1 57	10,18		22 56	39,13		22 57	121,76	
Octob. 27.	19 38	- 31,78		14 7	12,04		1 58	39,90		0 6	121,51	
	1 58	26,87	- 14.	15 27 +	12,18		4 26	40,65				
	9 59	21,06		18 31	12,74	- 27.	21 57 -	45,38		- 16.	20 57 -	85,63
- 30.	23 58 +	23,69		19 37	12,69		0 0	46,57		21 58	85,28	
	0 4	23,76		19 42	12,71		0 4	46,46		22 57	82,91	
	1 57	24,96		19 46	12,78	- 30.	18 32 -	86,64		0 5	82,68	
				20 8	12,77		19 39	87,40		1 58	82,13	
- 31.	17 26 +	19,57		21 56	13,04		19 44	87,43		- 20.	1 58 -	57,12
	19 42	18,82		22 56	13,15		19 48	87,45		4 26	56,58	
	22 48	17,32		23 59	13,37		20 48	87,45		13 16	54,24	
	0 4	16,66		0 4	13,38		20 57	88,03		15 28	53,72	
	1 57	15,69		1 57	13,61		21 58	89,12		15 56	53,72	
							22 58	89,65		- 21.	18 32 -	52,89
Nov. 1.	19 38 +	6,39	- 15.	15 27 +	15,17		1 59	91,70		20 36	52,28	
	19 42	6,35		18 30	15,32	Dec. 1.	14 9 -	101,72		0 0	51,37	
	19 46	6,32		19 36	15,42	- 2.	17 28 -	102,60		0 5	51,32	
	20 55	6,30		19 42	15,44		18 33	102,75		1 58	50,87	
	21 57	6,34		19 46	15,42		19 40	103,12		4 26	50,38	
- 3.	1 57 +	0,30		20 8	15,53		19 44	103,14		13 17	48,30	
	4 26 -	0,97		21 56	15,64		20 9	103,14		14 8	48,13	
- 5.	19 58 -	17,06	- 18.	22 56 +	8,89		21 58	103,48		14 42	47,89	
	19 42	17,02		23 59	8,75					15 28	47,78	
	19 46	16,99		0 4	8,81	- 3.	15 29 -	114,29		15 36	47,83	
				1 57	8,69	- 4.	1 59 -	115,88		- 23.	15 28 -	36,79
				4 25	8,41		14 9	117,66		15 36	36,67	
										- 24.	19 58 -	35,79
- 9.	11 40 -	4,32	- 21.	18 31 -	7,64					19 43	35,81	
	13 16	3,98		19 37	7,97		- 5.	11 42 -	120,21	20 56	35,53	
- 10.	18 30 -	3,15	- 25.	14 8 -	37,72		- 7.	11 43 -	124,55	- 25.	20 56 -	30,69
	19 42	2,83		15 27	37,76		- 8.	20 37 -	125,31	22 48	30,22	
	19 47	2,92		15 36	37,64		- 9.	4 28 -	128,02	22 56	29,97	
- 11.	0 4 +	1,72	- 26.	18 31 -	38,55			5 5	127,92	4 26	28,95	
	1 57	2,05		19 38	38,49			5 17	127,96	5 4	28,72	
	14 7	3,91		19 43	38,64		- 12.	19 40 -	122,81	5 16	28,57	
- 12.	20 35 +	5,05		19 47	38,68			19 44	122,73	5 46	28,58	
	15 27 +	8,62		20 8	38,70			19 49	122,75	6 31	(28,33)	
- 13.	23 59	9,89		21 57	39,11			20 37	122,40			
								21 58	122,21			

Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.
Horologium Liebherrianum.											
Jan. 10.	16 19	15,59	Jan. 20.	0 4	8,60	Jan. 28.	5 5	65,87	Febr. 17.	7 35	+ 78,65
	17 4	(15,08)		1 57	9,11		5 47	64,11		17 2	(78,68)
	17 8	15,32		2 55	9,25		6 32	(64,09)		18 25	78,62
	17 27	15,27		4 26	9,74		6 38	64,16		18 50	78,63
	18 31	15,21		5 6	9,84		7 31	64,42		19 36	78,72
— 11.	19 42	15,07		5 15	9,82		8 36	(64,05)		19 41	78,72
	20 35	14,89		6 37	9,99	Febr. 4.	1 58	68,57	— 18.	23 58	+ 78,97
	22 56	14,95		7 25	10,07		18 32	64,50		1 56	79,15
	21 57	15,05		8 50	10,01		20 36	65,71		2 51	79,19
— 13.	20 35	13,12		17 4	(11,50)		22 56	62,45		4 24	79,18
	21 57	13,04		17 7	11,51		1 58	60,84		5 44	79,25
	22 56	13,16		17 27	11,46		5 4	59,55		6 29	(79,44)
	1 57	12,79		18 31	11,27		5 16	59,42		6 36	79,22
	4 26	13,44	— 21.	19 42	11,27		5 47	58,99		7 22	79,45
	5 3	13,67		20 36	10,96		4 26	48,71		7 29	79,55
	5 15	14,05		4 26	10,07		5 4	48,55		8 34	(79,45)
	6 31	(15,04)		5 4	10,04		5 8	48,26		9 17	79,26
	6 37	15,44		5 6	9,91		5 16	48,25		9 58	79,40
	7 24	16,25		5 15	10,10		5 46	48,06	— 19.	1 55	+ 80,07
	7 30	16,33		5 45	10,11		6 58	47,64		4 24	80,02
	7 35	16,34		17 3	(8,19)		7 31	46,99		5 14	80,07
— 15.	0 0	21,11		17 26	8,21		7 35	47,08		5 44	79,97
	0 4	20,98		18 31	7,65		17 4	(41,84)		6 30	(80,35)
	5 4	21,95		19 42	6,21					6 36	80,09
	5 15	21,90	— 24.	1 58	41,81		1 56	+ 69,41		7 22	80,18
	5 45	22,05		5 4	42,50		4 25	70,03		7 29	80,17
	17 4	(24,10)		5 6	42,55		5 6	69,98		7 35	80,14
	17 6	24,06		5 16	42,55		5 44	69,95		8 34	(80,41)
	17 27	24,28		5 46	42,76		6 29	(70,31)		9 17	80,20
	19 43	24,69		17 4	(45,51)		6 36	70,19	— 28.	2 52	+ 77,57
Horologium Hubertianum.				17 7	45,55		7 29	70,66		4 25	77,41
Jan. 19.	4 25	3,09	— 26.	17 27	45,66		18 31	+ 75,92		5 14	77,47
	5 4	3,23		18 31	45,78		19 37	76,21		5 44	77,52
	5 45	3,70		7 24	54,44		19 41	76,04		6 29	(77,46)
	6 31	(4,07)		7 31	54,40		20 34	76,22		6 36	77,27
	6 37	4,02		7 35	54,28		23 58	+ 76,51		7 22	77,55
	7 23	4,32		8 36	(54,47)		0 5	76,37		7 29	77,54
	7 30	4,36		9 20	54,87		1 56	76,40		7 35	77,52
	7 34	4,36	— 27.	17 4	(56,78)		2 52	76,49	Mart. 1.	8 34	+ (77,12)
	17 4	(7,51)		0 0	57,68		5 1	76,54		19 41	+ 74,44
	17 6	7,50		0 5	57,67		5 5	76,45	— 9.	20 34	74,48
	17 26	7,49		4 26	58,72		18 30	+ 82,15		4 25	+ 74,61
	18 31	7,56		5 5	58,90				— 10.	5 2	74,75
	19 42	7,70	— 28.	22 57	62,90		4 24	+ 78,76		5 44	74,56
— 20.	20 36	7,69		0 0	63,04		5 2	78,79		5 44	74,56
	23 59	8,56		0 5	63,12		5 44	78,70		18 30	75,12
				4 27	63,80		6 36	78,72		19 37	74,95
							7 22	78,68		19 41	74,92
							7 29	78,66		20 34	75,09

Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.		
Mart. 11.	h.		Mart. 16.	b.		Mart. 26.	h.		Apr. 8.	h.			
	1	56 + 75,25		1	56 + 80,40		4	24 + 92,15		8	11 38 + 102,51		
	2	52 75,27		4	24 80,54		5	2 92,21		11	40 102,71		
	4	25 75,15		5	2 80,68		9	57 92,28		—	9	19 36 + 108,43	
	5	2 75,17		5	5 80,38		11	39 92,55		—	10.	19 39 108,47	
	5	5 75,19		5	45 80,47		13	14 92,57		—	10.	4 23 + 109,08	
	5	44 75,22		7	22 80,67		19	41 92,89		—	10.	5 4 108,95	
	6	30 (75,30)		7	28 80,65		20	34 92,94		—	10.	5 13 109,05	
	6	36 75,19		11	39 80,69		—	27.		4 24 + 93,24	—	10.	5 44 109,04
	7	29 75,35		13	14 80,87		5	2 93,22		—	10.	6 36 108,92	
	7	34 75,33		19	41 81,05		5	5 93,17		—	10.	7 21 109,17	
	8	34 (75,39)		20	34 81,17		5	14 93,17		—	10.	7 28 109,11	
	9	18 75,34		—	17.		23 58 + 81,34	6		36 93,18	—	10.	7 32 109,16
9	59 75,37	—	17.	4 24 81,40	7	29 93,31	—	10.	7 57 109,38				
18	30 75,75	—	17.	5 2 81,50	7	33 93,32	—	10.	11 38 109,42				
19	37 75,75	—	17.	5 6 81,29	8	33 (93,45)	—	10.	11 40 109,53				
19	41 75,71	—	17.	5 14 81,46	9	17 93,26	—	10.	13 14 109,61				
20	34 75,88	—	17.	7 22 81,54	9	57 93,57	—	10.	9 57 + 111,55				
—	13.	7 22 + 77,19	—	17.	7 29 81,53	11	40 93,58	—	10.	—			
—	13.	7 29 77,16	—	17.	7 33 81,61	13	14 93,69	—	10.	9 59 — 5,84			
—	13.	7 33 77,17	—	17.	8 34 (81,68)	19	41 94,08	—	10.	11 40 5,68			
—	13.	9 18 77,06	—	17.	9 58 81,66	—	29.	4 24 + 95,99	—	10.	13 16 5,59		
—	13.	9 58 77,18	—	17.	19 41 81,94	—	29.	5 44 96,05	—	10.	14 8 5,64		
—	13.	18 30 77,70	—	17.	4 24 + 82,52	—	29.	6 35 96,20	—	10.	23 59 4,75		
—	13.	19 36 77,70	—	17.	5 2 82,60	—	29.	7 22 96,26	—	10.	5 4 — 4,48		
—	13.	19 41 77,61	—	17.	5 6 82,37	—	29.	7 28 96,26	—	10.	5 6 4,80		
—	13.	20 34 77,78	—	17.	5 14 82,56	—	29.	9 57 96,31	—	10.	5 15 4,61		
—	13.	4 24 + 78,07	—	17.	5 44 82,38	—	29.	11 38 96,56	—	10.	5 45 4,79		
—	13.	5 44 77,98	—	17.	7 22 82,55	—	29.	13 14 96,65	—	10.	6 31 (4,65)		
—	13.	6 30 (78,16)	—	17.	7 29 82,62	—	30.	4 24 + 97,52	—	10.	6 37 4,65		
—	13.	6 36 78,00	—	17.	7 34 82,57	—	30.	7 22 97,79	—	10.	7 30 4,59		
—	13.	7 28 78,18	—	17.	—	21.	4 24 + 86,33	—	10.	—			
—	13.	9 58 78,25	—	17.	5 2 86,46	—	21.	7 33 97,86	—	10.	9 59 + 1,19		
—	13.	19 37 78,70	—	17.	5 5 86,26	—	21.	9 17 97,78	—	10.	11 40 1,20		
—	13.	19 41 78,75	—	17.	5 13 86,42	—	21.	9 57 97,95	—	10.	11 41 1,42		
—	13.	20 34 78,98	—	17.	5 43 86,24	—	21.	9 17 + 98,96	—	10.	14 7 1,44		
—	13.	1 56 + 79,20	—	17.	6 36 86,43	Apr.	1.	4 24 + 99,96	—	10.	15 27 1,58		
—	13.	4 24 79,18	—	17.	7 22 86,64	—	1.	5 2 99,94	—	10.	15 35 1,50		
—	13.	5 2 79,32	—	17.	7 28 86,59	—	1.	5 15 99,95	—	10.	13 16 + 2,86		
—	13.	5 15 79,30	—	17.	7 33 86,51	—	6.	25 57 + 105,52	—	10.	14 8 2,94		
—	13.	7 29 79,31	—	17.	9 17 86,48	—	6.	4 24 + 105,41	—	10.	21 57 + 6,91		
—	13.	9 18 79,25	—	17.	9 57 86,65	—	6.	5 15 105,50	—	10.	23 59 7,16		
—	13.	9 57 79,60	—	17.	11 39 86,78	—	6.	6 36 105,38	—	10.	24.** 5 3 + 7,52		
—	13.	18 30 80,14	—	17.	13 14 86,91	Apr.	7.	7 22 105,50	—	10.	—		
—	13.	19 37 80,02	—	17.	19 36 87,40	—	7.	7 28 105,51	—	10.	7 30 + 10,52		
—	13.	19 41 79,90	—	17.	19 41 87,30	—	7.	9 17 + 102,15	—	10.	7 34 10,55		
—	13.	20 34 80,22	—	17.	5 44 + 90,05	—	7.	9 57 102,28	—	10.	8 35 (10,54)		
											9 18 10,58		
											9 59 10,65		

*) Situs instrumenti enormiter mutatus, cum fulcrum occidentale deciderit, quod die insequente restitutum est. Hinc, ob diversa M., magna in C + M discrepantia.

***) Capella singulo medio filo observata est, in quo 1" error inest, ut observata γ Draconis docet.

Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.
Apr. 26.	h. 13 16	+ 10,90	Maj. 9.	h. 6 37	+ 29,71	Maj. 29.	h. 9 57	+ 71,95	Aug. 21.	h. 7 25	+ 11,65
— 27.	5 14	+ 11,81		7 25	29,80		11 39	72,18		7 30	11,55
	5 45	11,80		7 30	29,81		11 40	72,26		7 34	11,69
	7 25	11,92		7 34	29,77		13 15	72,36		9 18	11,61
	7 30	11,81		8 34	(29,87)		15 34	72,86	— 22.	14 7	+ 12,27
	7 34	11,77	— 11.	23 58	+ 33,91		16 17	73,06		15 27	12,39
	13 14	12,27	— 14.	13 15	+ 37,65		17 2	(72,95)		15 35	12,36
	14 7	12,60		14 41	37,84		17 5	73,03		17 26	12,45
	14 41	12,56		14 42	37,78	— 30.	1 56	74,27		19 42	12,79
	14 41	12,72		15 26	37,74		8 34	+ (74,78)		6 37	13,68
— 28.	15 27	12,77	— 15.	7 29	+ 38,88		9 18	74,77	Sept. 6.	5 45	+ 26,67
	4 25	+ 13,24	— 16.	11 39	+ 41,14		9 57	74,86		6 37	26,67
	6 30	(13,68)		11 41	41,24		11 39	75,09		7 25	26,96
	6 37	13,40		14 40	41,58		11 40	75,16		7 30	26,73
	7 25	13,49		15 27	41,59		13 15	75,24		7 34	26,75
	7 34	13,50		16 18	41,70		15 34	75,70		8 35	(26,85)
	9 18	13,54		17 6	41,69	— 31.	1 56	77,07	— 7.	19 41	+ 27,85
	11 39	13,79		0 3	42,73	Jun. 1.	9 18	+ 79,90		19 46	27,91
	14 7	14,07	— 18.	9 58	+ 45,50		1 56	80,62		20 35	27,98
	14 41	14,55		15 35	46,19		1 56	83,22		21 56	28,06
	14 41	14,20		16 18	46,35	— 2.	9 58	+ 83,95		0 3	28,34
	15 35	14,16		23 58	47,17		11 39	84,17		7 30	28,73
— 29.	7 29	+ 15,22	— 19.	0 3	47,16		14 39	84,67	— 8.	19 42	+ 29,59
	7 34	15,12		8 34	+ (48,01)		14 39	84,81		20 8	29,66
	11 41	15,44		9 18	47,76		15 34	84,86		20 35	29,71
	14 7	15,66		9 58	47,92		17 5	84,93	— 10.	19 42	+ 32,45
— 30.	6 37	+ 16,63		11 39	48,13		22 55	85,97		20 8	32,31
	7 25	16,75		11 41	48,50	— 3.	1 56	86,33		20 35	32,37
	7 29	16,70		14 40	48,58		9 58	+ 87,13		20 55	32,48
	7 34	16,75		14 40	48,62		11 39	87,36		21 56	32,48
	8 35	(16,81)		15 34	48,66		14 39	87,89		22 47	32,41
	9 19	16,77		23 58	49,70		14 39	87,97		22 55	32,63
	15 27	17,43	— 20.	0 3	49,84		16 17	88,30	— 11.	15 27	+ 33,26
	15 35	17,48		7 22	+ 50,39		9 57	+ 94,10		15 35	33,20
Maj. 2.	9 59	+ 20,03		7 29	50,39		13 14	94,65		17 6	33,34
— 5.	7 25	+ 23,99		7 34	50,24	Aug. 20.	14 8	+ 7,02		17 30	33,34
	7 30	24,09		8 34	(50,32)		15 27	7,35		18 30	33,34
	7 34	24,01		9 18	50,20		17 6	7,52		20 35	33,42
	9 18	24,01		14 41	51,07		20 35	8,07		21 56	33,44
	9 59	24,14		15 26	51,08		6 37	8,68		22 55	33,49
	11 40	24,35		16 18	51,30		7 23	9,21		23 58	33,54
— 6.	9 18	+ 25,42	— 21.	9 18	+ 52,65		7 30	9,97		0 3	33,61
	9 59	25,54		0 3	54,53		7 34	9,18		7 30	33,66
	13 15	25,93		13 15	+ 55,84		7 34	9,18		7 34	33,73
	14 7	26,02	— 22.	15 26	56,05		14 7	+ 9,76		8 34	(33,81)
	15 27	26,14		1 56	+ 71,26	— 21.	15 35	9,98		9 18	33,66
	15 35	26,13	— 28.	2 51	71,32		17 26	10,14	— 12.	15 27	+ 34,25
— 8.	14 41	+ 29,42		7 29	+ 71,69		19 42	10,61		15 36	34,14
	15 27	29,18	— 29.	7 29	+ 71,69		6 30	(11,64)		17 6	34,22
	23 59	29,54		7 35	71,78		6 37	11,24		17 26	34,18
										19 42	34,43

Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.
Sept. 12.	19	46 + 34,36	Sept. 19.	18	30 + 41,99	Oct. 1.	7	25 + 55,63	Oct. 8.	11	39 + 68,95
	20	35 34,45		21	56 41,97		7	29 55,57		14	6 + 69,24
— 15.	6	37 + 56,13		22	47 42,19		7	34 55,50		15	26 + 69,30
	7	30 56,15		22	55 42,11		9	18 55,50		17	5 69,37
	7	34 56,20		6	37 42,15		11	39 55,91		17	26 69,52
	8	35 (56,28)		7	25 42,42	— 2.	14	6 + 55,92		18	30 69,50
	9	18 56,04		7	29 42,36		15	26 56,05		19	41 69,59
	9	58 56,46		7	34 42,34		15	35 55,95		19	46 69,64
— 15.	17	3 + (57,71)		8	35 (42,26)		17	6 56,22		20	7 69,59
	17	6 57,91	— 20.	15	27 + 42,82		17	26 56,15		20	7 69,55
	19	42 58,03		17	6 42,87		23	59 56,72		20	34 69,73
	20	35 58,12		17	26 42,80	— 3.	0 56,82		21	56 69,82	
	21	56 58,02		19	37 42,95		21	56 + 58,25		22	47 69,96
	22	47 58,18	— 21.	15	26 + 43,68		23	58 58,53		22	55 69,96
	22	55 58,23		7	29 44,23		0 58,51		23	58 70,02	
	23	59 58,33		7	34 44,27	— 4.	14	7 + 59,42		0 70,04	
	7	30 58,37	— 22.	7	29 + 44,88		19	37 59,92		9	17 70,45
	7	34 58,29		7	34 44,90		21	56 60,12	— 10.	9 58 70,44	
	8	34 (58,40)		8	35 (45,12)	— 6.	22	55 60,23		18	30 + 71,14
	9	18 58,27		9	18 44,89		14	7 + 63,60		19	37 71,05
	9	58 58,43		9	58 45,01		15	26 63,84		19	41 71,11
— 16.	17	3 + (58,31)	— 23.	17	6 + 45,43		15	35 63,81		19	45 71,14
	17	6 58,95		19	41 45,55		17	3 (63,81)		21	56 71,07
	17	26 58,91		20	35 45,71		17	6 63,91		22	55 71,26
	19	42 59,14		21	56 45,60		17	26 63,90		23	58 71,44
	20	8 59,11	— 24.	22	55 45,79		19	41 64,22		9	17 71,70
	20	35 59,17		22	55 46,48		21	56 64,40		9	58 71,89
	21	56 59,23		0 3 46,48	— 25.	23	59 + 64,53		11	39 72,10	
	7	29 59,50		1 56 46,42		9	18 64,60	— 11.	14	6 + 72,35	
	7	34 59,42		17	26 + 46,81		9	58 64,97		15	26 72,41
	8	34 (59,50)		19	37 46,94		9	58 65,14		15	34 72,47
	9	18 59,41		19	46 46,99	— 7.	14	7 + 65,61		18	30 72,58
— 17.	15	27 + 59,94		20	7 47,03		17	6 65,82		19	37 72,52
	15	35 59,88		20	8 47,03		17	26 65,83		19	41 72,55
	17	3 (59,82)		21	56 47,05		18	30 66,03		9	58 73,21
	17	26 59,94		22	55 47,24		19	41 65,77	— 12.	11	39 73,44
	19	42 40,09		23	59 47,36		19	46 65,90		14	7 + 73,64
	19	46 40,15		0 3 47,33		20	7 65,90		18	30 74,28	
	7	29 40,44		9 18 47,33		21	56 65,99		19	37 74,27	
	7	34 40,50		9 58 47,39		9 18 66,73		19	41 74,33		
	8	34 (40,65)		11 39 47,50	— 28.	9 58 66,89		20	7 74,44		
— 18.	17	3 + (40,78)		17 3 + (49,89)		9 58 67,59	— 8.	18 30 + 67,59		21	56 74,58
	18	30 41,06		17 6 49,93		19 41 67,67		19 41 67,67		22	55 74,72
	19	42 41,15		17 26 49,93		20 7 67,71		20 7 67,71		23	58 74,95
	20	8 41,09	— 29.	17 6 + 51,41		21 56 67,89		9 58 67,89		9 58 75,63	
	20	35 41,17		17 26 51,35		22 55 68,03		9 58 68,03		11 39 75,82	
	21	56 41,23	— 30.	18 30 51,55		23 58 68,08		9 17 68,63	— 13.	18 30 + 76,37	
— 19.	15	26 + 41,86		9 18 + 55,80		9 58 68,68		9 58 68,68		19 41 76,41	
	17	6 41,90		9 58 54,04						20 7 76,36	
	17	26 41,86								20 7 76,45	

Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.	Dies.	Hora.	C + M.
Oct. 13.	21 55	+ 76,59	Oct. 29.	22 56	- 23,64	Nov. 14.	19 42	- 14,25	Nov. 25.	20 9	- 17,13
	22 55	76,67		0 0	23,76		19 47	14,25		21 57	17,13
	23 58	76,78		0 5	23,67		20 8	14,30		22 56	17,15
	9 58	77,28	- 30.	19 43	- 23,18		20 56	14,18		11 40	17,70
- 14.	15 26	+ 77,81		20 8	23,17		1 57	14,20	- 26.	0 0	- 17,79
	17 26	77,87		20 9	23,10		11 40	14,18		0 4	17,72
	18 30	78,12		1 58	22,95		13 16	14,22			
	19 37	78,19	- 31.	18 31	- 22,59		14 8	14,14	Dec. 1.	15 27	- 17,86
	19 41	78,25		19 42	22,58	- 15.	15 27	- 14,00		15 37	17,84
	19 46	78,24		20 8	22,56		18 31	14,12	- 2.	18 31	- 17,78
	20 7	78,23		20 9	22,52		19 42	14,05		19 38	17,77
	22 55	78,41		20 36	22,45		19 47	14,05		19 42	17,79
	25 58	78,66		21 57	22,43		20 8	14,10		19 47	17,78
	0 5	78,67					20 9	14,05		20 9	17,73
			Nov. 6.	14 8	- 18,38		20 36	14,07		20 36	17,77
- 19.	14 8	- 34,69	- 7.	0 0	- 17,88		0 0	13,95	- 3.	19 38	- 17,57
	17 27	34,44		0 5	17,85		1 57	13,95		19 42	17,56
	18 31	34,26		11 40	17,67	- 17.	4 26	14,00		19 46	17,50
	19 43	34,15	- 8.	13 16	- 17,05		19 38	- 13,08		20 9	17,56
	19 47	34,12		14 7	17,06		19 42	13,11		20 35	17,54
	20 8	34,04	- 9.	15 28	- 16,79		19 46	13,02		0 4	17,45
	21 57	33,99		19 38	16,91		21 57	13,09	- 8.	20 8	- 15,85
- 20.	19 38	- 32,63		19 42	16,89		15 27	13,59		20 35	15,75
	19 45	32,62		1 58	- 16,58	- 18.	14 7	- 14,04		21 57	15,77
	19 47	32,54	- 11.	0 0	- 15,18	- 19.	19 38	- 13,96		22 56	15,67
	22 48	32,20		0 4	15,15		19 42	14,02		0 0	15,55
	22 57	32,26	- 12.	11 40	- 14,95		21 56	13,80		0 4	15,56
	0 0	32,18		11 41	14,79		1 58	14,14	- 9.	0 4	- 15,11
	0 5	32,14	- 13.	14 8	14,77		2 53	14,05		1 57	15,18
- 26.	18 31	- 25,58		15 27	- 14,67		4 26	14,21		15 27	15,17
	19 38	25,29		17 4	(14,90)					15 35	15,14
	19 43	25,22		17 7	14,71	- 22.	0 0	- 16,09		17 27	- 15,22
	19 47	25,25		17 27	14,85		0 4	15,98		0 0	15,06
	20 36	25,24		18 31	14,67		1 58	16,06		0 4	14,87
	21 57	25,22		19 42	14,74		4 26	16,25		13 16	14,58
	22 56	25,15		20 8	14,78		5 4	15,98		14 8	14,46
	0 4	25,09		20 9	14,71		5 6	16,17		15 27	14,20
- 27.	17 4	(24,84)		20 36	14,64	- 23.	19 42	- 16,55		15 36	14,34
	17 7	24,67		21 57	14,65		19 47	16,28		18 31	- 14,07
	17 27	24,64		22 56	14,59		20 8	16,40	- 11.	19 38	- 12,95
	18 31	24,59		0 0	14,56		20 9	16,40	- 16.	15 36	- 10,95
	19 43	24,60		0 4	14,53		21 56	16,51	- 17.	19 38	- 10,79
	20 36	24,45		1 58	14,49	- 24.	15 28	- 17,06		19 42	10,72
	21 57	24,52		2 53	14,54		15 36	17,04		19 46	10,59
- 29.	19 43	- 23,85		14 7	14,34	- 25.	19 42	- 17,08		20 35	10,61
	21 57	23,85	- 14.	19 38	- 14,17		19 47	17,17		13 16	10,60

Ascensiones rectae stellae polaris et δ Ursae minoris.

Examen continuum ascensionis rectae stellae utriusque polaris non sat commendari potest astronomis, et hucusque in nostra specula inter observationis objecta primaria est habitum. Magni jam interest videre, quatenus correctio media ascensionis rectae in tabula Besseliana suppositae eadem inveniatur, quam obtulit tubus noster culminatorius octipes. Quae vero comparatio, cum non eodem tempore ad utrumque instrumentum sit observatum, ob incertitudinem quamvis exiguam in numero nutationis constanti, non nisi post longius tempus caute institui poterit. Certissima vero est comparatio inter ascensiones rectas per instrumentum nostrum in utraque circuli positione acceptas. Quae nos optime docebit, quatenus fides sit habenda ascensionibus rectis per hoc instrumentum cognitis, ideoque de forma polorum vere rotunda certiores nos reddet. Completa quidem disquisitio de ascensionum rectarum fide tum demum erit, si probatum est instrumentum stellis omnium declinationum eandem ascensionem praebere et in utroque circuli situ, et pro borealibus in culminatione tam superiore quam inferiore. Haec vero disquisitio meo iudicio ita debet perfici, ut nullus catalogus fundamentalis ex alio instrumento pendens pro basi accipiatur, sed omnia per unum hoc instrumentum peragantur. In stellis vero duabus polaribus nullius momenti potest esse, si quid minimum in catalogo ascensionum Regiomontano, quem quis non admiratus est, per perfectiora instrumenta Reichenbachiana corrigendum fortasse inveniatur. Proximam utrimque cum stellis polaribus observatam fundamentalem ad calculum correctionis horologii adhibui; et ita ascensiones quaesitas deduxi, ut conjungerentur cum quavis culminatione oppositae culminationes utrimque vicinae. Eadem fere methodus ante hac nobis obtinuit.

Stella polaris.

1822.	AR observata.	Correctio tabulae.	Circ. ad	1822.	AR observata.	Correctio tabulae.	Circ. ad
4,9 Nov.	h. ' " 0 58 12,23	+ " 0,90		4,3 Dec.	h. ' " 0 57 59,74	+ " 0,42	Occ.
5,4 —	11,95	+ 0,79		20,8 —	49,82	+ 0,83	
9,9 —	10,55	+ 0,92		21,3 —	49,18	+ 0,53	Or.
10,9 —	9,32	— 0,02	Or.	21,8 —	48,33	+ 0,01	
11,4 —	9,37	+ 0,16		1823.			
11,9 —	9,21	+ 0,13		16,6 Mart.	56 57,19	— 0,69	Or.
13,4 —	8,42	— 0,29		21,5 —	55,72	— 1,41	
13,9 —	8,33	— 0,25		26,0 —	56,43	+ 0,16	Occ.
1,8 Dec.	1,20	+ 0,34	Occ.				

1823.	AR observata	Correctio tabulae.	Circ. ad
26,5 Mart.	h. 0 56' 56,58"	+ 0,38"	Occ.
27,0 —	56,80	+ 0,64	
27,5 —	56,88	+ 0,74	
29,5 —	56,69	+ 0,52	
10,4 Apr.	55,77	— 0,92	Or.
10,9 —	56,47	— 0,32	
14,4 —	58,12	+ 0,44	
23,9 —	57 0,24	+ 0,43	
1,9 Maj.	3,31	+ 0,21	Occ.
4,9 —	4,47	+ 0,30	
5,4 —	4,62	+ 0,25	
6,4 —	4,40	— 0,38	
6,9 —	4,58	— 0,43	
8,4 —	5,64	— 0,14	
15,9 —	9,84	— 0,17	Or.
16,4 —	10,49	+ 0,23	
16,9 —	10,90	+ 0,40	
18,9 Maj.	0 57 12,07	+ 0,58	
19,4 —	12,23	+ 0,47	
19,9 —	12,71	+ 0,67	
20,4 —	13,16	+ 0,83	
21,9 —	12,71	— 0,58	
22,4 —	13,20	— 0,43	
29,3 —	19,00	+ 0,60	Occ.
29,8 —	19,08	+ 0,38	
30,3 —	19,08	+ 0,08	
30,8 —	19,17	— 0,12	
31,8 —	20,55	+ 0,67	
1,3 Jun.	20,70	+ 0,52	
1,8 —	20,91	+ 0,41	
2,3 —	21,02	+ 0,19	
3,3 —	21,09	— 0,43	
3,8 —	21,01	— 0,87	
7,6 Sept.	58 28,22	+ 1,41	
8,1 —	28,50	+ 1,47	

1823.	AR observata.	Correctio tabulae.	Cir. ad
11,1 Sept.	h. 0 58' 30,08"	+ 1,63"	Or.
11,6 —	30,21	+ 1,53	
12,1 —	30,34	+ 1,44	
23,6 —	33,06	+ 0,77	Or.
24,6 —	33,57	+ 0,95	
25,6 —	34,47	+ 1,53	
2,6 Oct.	34,63	+ 0,63	Occ.
3,6 —	34,53	+ 0,42	
4,1 —	34,47	+ 0,30	
6,1 —	35,80	+ 1,33	
9,0 —	36,81	+ 1,80	Or.
9,5 —	36,57	+ 1,49	
10,5 —	37,07	+ 1,87	
10,9 —	37,01	+ 1,77	
11,4 —	36,88	+ 1,62	
12,9 —	35,69	+ 0,46	Occ.
13,4 —	36,21	+ 1,00	
13,9 —	36,97	+ 1,81	
14,4 —	37,52	+ 2,38	
26,4 —	35,45	+ 0,80	
26,9 —	35,35	+ 0,80	
29,4 —	35,63	+ 1,65	
29,9 —	35,47	+ 1,61	
7,4 Nov.	33,25	+ 0,88	Or.
8,9 —	33,45	+ 1,53	
9,4 —	33,30	+ 1,56	
14,4 —	31,30	+ 1,44	
14,9 —	31,35	+ 1,65	
25,9 —	26,24	+ 0,97	Occ.
26,4 —	25,95	+ 0,84	
8,4 Dec.	19,62	+ 0,83	
8,9 —	19,26	+ 0,80	
9,4 —	18,99	+ 0,86	
10,4 —	18,50	+ 1,02	

Ex omnibus 85 observationibus per medium sequitur correctio media tabularum $c = + 0",6$
 Observationes 42 in circuli positione occidentali praebent $c = + 0",513$; 43 observationes in Γ

sitione orientali dant $c = + 0'',721$. Conveniunt itaque acceptae AR stellae polaris in utroque situ instrumenti ad $0'',208$ temporis = $0'',089$ arcus in loco stellae.

♃ Ursae minoris.

1823.	AR observata.	Correctio tabulae.	Circ. ad	1823.	AR observata.	Correctio tabulae.	Circ. ad
13,4 Jan.	^{h.} 18 28' 51,76	— 1,19	Or.	14,3 Mart.	^{h.} 18 29' 6,03	— 0,31	Or.
15,9 —	52,40	— 0,70		14,8 —	7,09	+ 0,56	
19,4 —	52,72	— 0,76		15,3 —	7,61	+ 0,90	
19,9 —	52,65	— 0,88		15,8 —	7,79	+ 0,89	
20,4 —	52,65	— 0,94		8,3 Sept.	9,80	— 0,28	
20,9 —	52,68	— 0,96		12,3 —	8,27	— 0,21	
6,9 Febr.	*55,26	— 0,89	13,8 —	7,60	— 0,21		
7,4 —	*55,76	— 0,48	Occ.	16,8 —	6,57	+ 0,06	Occ.
8,9 —	55,73	— 0,78		17,3 —	6,54	+ 0,25	
17,9 —	*59,12	+ 0,32	18,3 —	5,41	— 0,38		
11,3 Mart.	29 5,11	— 0,11	19,8 —	4,87	— 0,43		

Ex omnibus 22 observationibus sequitur per medium correctio tabulae $c = - 0'',298$. Observationes 8 circulo ad Occidentem praebent $c = - 0'',346$; 14 observationes circulo ad Orientem vero $c = - 0,269$. Differentia est $0'',077$ temporis, seu pro loco stellae $0'',069$ arcus.

Elementa prima ad calculandas distantias a polo et vertice.

Distantia filorum horizontalium.

Duo fila horizontalia sunt in foco extensa, 8" fere inter se distantia. In medio inter ipsa spatio stella observatur. Accuratiores distantiae eorum cognitio ad stellas reducendas nil quidem facit; quam tamen pluries constitui, cum non raro differentia declinationis inter stellas duplices, minor 8" secundis, ex comparatione cum filorum distantia per taxationem determinare studuerim. Prope fila I et V saepius observatum tempus, quo stella polaris a bissectione alterius fili ad alterum migrabat, unde haec deduxi intervalla inter media fila.

In filo I.	In filo V, circulo ad Occidentem supra polum.
7,33	8,19
7,38	7,55
7,59	7,88
7,67	8,09
7,36	
6,98	
Medium 7,39	7,94

cum $\epsilon'' = 0,065$ $\epsilon'' = 0,098$.

Ex 10 experimentis est error probabilis singulae distantiae $0'',174$, seu pro bisectione stellae a filo $0'',174 : \sqrt{2} = 0'',125$. Comparatio temporum, quibus stella et ab utroque filo bissecta apparuerit, et in medio spatio fuisse taxata sit, probat deinde errorem probabilem pro taxatione loci inter media fila esse $0'',143$. Qui visus errores $= 0'',125$ et $0'',143$ minores etiam sunt, quam qualem ex transitu stellae polaris per fila verticalia cognovi $= 0'',236$ (p. XVI). Sed determinationes distantiae filorum horizontalium non institutae sunt, nisi tempestate ita favente, ut stella prorsus tranquilla et bene definita appareret.

Est nobis itaque hoc schema pro distantia filorum horizontalium ad singula fila verticalia:

I	II	III	IV	V	Circulo ad Occ. supra, seu Or. sub p.
7,39	7,52	7,66	7,80	7,94	
V	IV	III	II	I	Circulo ad Or. supra, seu Occ. sub p.

Paululum a parallelismo fila aberrare perspicuum est.

Libella in circulo indice.

Superficies tubi vitrei in lineas divisa est. Scalae pretium per observationes stellae polaris est cognitum, mutata positione circuli indicis per cochleam et lecto tam statu bullae in scala quam numero quatuor indicum in divisione. Apparuit mox pretium scalae esse variabile secundum longitudinem bullae, cum temperatura mutata. In tabula sequenti sub uno intuitu posuimus pretia partis scalae = p accepta secundum longitudes bullae = L.

1823.	5 et 6 Febr.	L = 94,0 p.	Therm. Reaum. = — 18,5	p = 1,360
	2 Jan.	84,0	— 13,0	1,310
	13 Nov.	72,0	— 3,5	1,338
	14 —	70,4	— 3,5	1,352
1822.	14 Nov.	69,3	— 2,8	1,370

1823.	6 Nov.	L = 57,8 p.	Therm. Reaum. = +	4,2 ^o	p = 1,530
	11 Sept.	49,6	+ 9,2		1,702
	18 —	42,6	+ 13,0		1,892
	5 Jun.	34,6	+ 16,4		2,016
	3 —	32,0	+ 16,9		1,954.

Pro temperaturis minimis a $-18^{\circ},5$ ad $-5^{\circ},5$ idem proxime p invenimus per medium = $1'',34$.
Inde vero diminuto L increscit p. Haec itaque nobis formata est tabula subsidiaria ad correctiones ob libellam calculandas, exhibens diversa pretia $\frac{1}{2}$ p pro diversis $\frac{1}{2}$ L:

$\frac{1}{2}$ L.	$\frac{1}{2}$ p.	$\frac{1}{2}$ L.	$\frac{1}{2}$ p.
50 p	0,67	25 p	0,85
35	0,67	24	0,87
34	0,68	23	0,90
33	0,70	22	0,92
32	0,71	21	0,95
31	0,73	20	0,96
30	0,74	19	0,97
29	0,76	18	0,98
28	0,78	17	0,99
27	0,80	16	1,00
26	0,82	15	1,01.

In diario vero adscriptum invenies pro quavis observatione statum filis bullae utrimque a medio puncto scalae, ad quod est 0. Si numerus secundus est major, correctio lectionis ex indicibus est positiva et vice versa; quam invenies ex multiplicatione differentiae numerorum per quantitatem $\frac{1}{2}$ p, qualis medio arithmetico inter utrumque numerum = $\frac{1}{2}$ L. in tabula supra data convenit.

Correctio declinationum non in meridiano observatarum.

Situs filorum horizontalium est justus, si planum per medium inter ipsa spatium centrumque lentis objectivae transiens parallelum est axi revolutionis instrumenti, seu normale in meridianum. Sin minus, observatio declinationis non in filo verticali medio instituta eget correctione altera ob hanc filorum positionem, praeter eam, quae et in justo eorum situ est adhibenda, oriundam ex eo, quod planum hoc in meridianum normale angulum cum circulo parallelo cujusvis stellae facit, aequalem stellae declinationi. Est itaque in stella, cujus declinatio = δ , correctio integra observationis, t'' ante culminationem institutae:

$$\mp (r - x t \cos. \delta)$$

et pro observatione t'' post culminationem:

$$\overline{r} (r + x t \cos. \delta).$$

In quibus formulis valet:

signum superius si Circulus est { ad Occidentem in culminatione superiore
 — Orientem — — inferiore,
 — inferius — — — { — Occidentem — — inferiore
 — Orientem — — superiore;

$$r \text{ v\text{e}r\text{o} evadit ex formula: } r = \frac{\sin. a \frac{15''}{2} \sin. 2 \delta}{\sin. 1''}.$$

Nisi stella nimis polo vicina, ut in α et δ Urs. min., est

$$\log. r = 6,43569 + 2 \log. t + \log. \sin. 2 \delta.$$

Ut cognoscatur x pro stella boreali et intrante in campum et exeunte indices leguntur. Ita ex pluribus observationibus stellarum inter 40° et 70° declinationis haec nobis provenere:

pro spatio	a 26 Oct. 1822	ad 1 Mart. 1823;	$x = -0,0137$
— —	a 1 Mart. 1823	ad 17 Apr. —	$x = -0,0122$
— —	a 19 Apr. —	ad 25 Aug. —	$x = -0,0192$
— —	a 6 Sept.	ad finem anni —	$x = -0,0171.$

Diarii nostri columna postrema continet reductiones integras in meridianum pro omnibus stellis et Sole; et quidem pro Sole correctio ob mutationem declinationis huic columnae etiam inest. Commodissimam tabulam, a cel. Besselio in collectione auxiliario cel. Schumacheri pro anno 1821 publici juris factam, hunc in finem adhibuimus. Quod ad ipsas Solis observationes attinet, intervalla $20''$ temporis in aequatore inter fila verticalia, majorque utrimque campus visualis id emolumentum nobis dedere, ut notato limbi occidentalis appulsu ad fila duo prima verticalia, declinatio utriusque limbi verticalis observaretur, alterius minuta fere ante culminationem, alterius prope filum III, tumque limbi orientalis appulsus ad duo fila verticalia postrema possent animadverti. Hinc in quavis culminatione omnes quatuor limbi Solis sunt determinati. Neque tamen haec Solis observandi methodus mihi successit, nisi post plurium mensium exercitationem praesertim in numeris circuli divisi celeriter legendis. Pro limborum vero verticalium declinatione duo tantum indices legebantur alternative, exempli gratia I et III pro superiore, tum II et IV pro inferiore. Et ea nobis obtinuit lex, ut in quavis instrumenti periodo, Sol quater observaretur, ita ut uterque limbus in iisdem filorum regionibus esset observatus, et pro utroque duplex lectio et primi indi-

cum paris et secundi institueretur. Festinantius observanti successit adeo omnes quatuor indices pro quovis limbo legere. Praetuli tamen binos tantum legere, tempore aequinoctiis viciniore, ne in observatione transitus filum etiam amitteretur; tempore vero Solstitionum quatuor Nonios legere idoneum duxi, etiamsi interdum alterum filum pro limbo orientali perderetur. Respectu Solis duo etiam monebo hac occasione. Per bracteam conoideam scilicet tenuissimi orichalci elasticam, ante laminam, quae fila tenet, extensam, cautum est, ne unquam Solis radii in ipsam hanc caderent laminam, sed in solam bracteam, quae ob formam in tubi ocularis parietes nullam vim exercere potest. Tum totum instrumentum tectum contra Solis radios, et lentis objectivae tantum pollices duo vacabant, qui lumen Solis susciperent. Utraque cautela, ut notum est, cel. Besselio debetur.

Saepe nobis etiam stellae non in ipso filo III pro declinatione sunt observatae. Cujus rei duplex erat causa. Seu enim ob aeris motus observatio ad filum III non successerat; seu in stellis duplicibus diversae declinationis appulsus ad postrema etiam fila erant per vices observandi, quod tuto tantum fiebat utraque stella inter media fila horizontalia posita. Interdum utriusque stellae declinationem observare conatus sum. Quibus in occasionibus plerumque in filo V verticali observatio declinationis est instituta. Ad reductionis vero commoditatem valebant tabulae auxiliares.

Quod ad Lunae declinationes attinet; ante plenilunium limbus alter verticalis semper ad filum ipsum medium est observatus, unde adscriptum tempus culminationi centri lunaris conveniat, nisi in notis expresse adjectum est, quot paucis secundis ante seu post culminationem declinationis observatio sit facta. In observationibus vero post plenilunium limbi alterius verticalis declinatio minuta fere ante culminationem notata est, nullam vero reductionem exhibui, in qua et declinationis mutabilis et parallaxis esset ratio habenda.

Quaeri etiam debet, nonne fila horizontalia ex pondere suo curventur. Multas ad hanc disquisitionem institui observationes stellarum borealium in culminatione inferiore intra 40° et 70° a vertice distantium; ita nempe, ut Nonii legerentur et intrante stella in campum, et culminante et eadem exeunte ex campo. Summa hujus disquisitionis exponetur in volumine sequenti. Unum tantum addo. Apertura horizontalis laminae, quae fila tenet, est 13,87 lin. Par., quibus respondet angulus $1^\circ 5' 30'' = 4' 22''$ temporis in aequatore. Neque tamen oculare ita ad latus moveri potest, ut stella statim observetur, quando in aperturam intrat, sed $50''$ tantum ante filum primum. Ita ut stella in aequatore per $3' 0''$ tempus possit videri.

Differentia inter Indices I et III atque II et IV.

In Solis observationibus cum per vices Nonii I et III legantur atque II et IV, interest nosse differentiam inter numeros ita acceptos. Si A est medium inter lectiones in Noniis I et III et B in Noniis II et IV: pro A erit correctio $+\frac{B-A}{2}$, pro B vero $+\frac{A-B}{2}$, ut id accipiatur, quod ex quatuor indicum lectione provenisset. Haec sunt quae accepimus ex lectione duodecies repetita, scilicet sexies in primis Indicis lineis et toties in extremis, ad decimum quintum quemvis semi-peripheriae gradum:

Locus Nonii I.	B — A	$\frac{B-A}{2}$	$\frac{B-A}{2}$ ex formula.	Differentia.
0° seu 180°	+ 0,21	+ 0,11	— 0,15	+ 0,26
15 — 195	— 0,08	— 0,04	+ 0,06	— 0,10
30 — 210	+ 0,49	+ 0,25	+ 0,04	+ 0,21
45 — 225	— 0,76	— 0,38	— 0,21	— 0,17
60 — 240	— 1,25	— 0,62	— 0,62	0,00
75 — 255	— 2,07	— 1,04	— 1,10	+ 0,06
90 — 270	— 3,56	— 1,78	— 1,48	— 0,30
105 — 285	— 2,62	— 1,31	— 1,68	+ 0,37
120 — 300	— 3,65	— 1,83	— 1,66	— 0,17
135 — 315	— 2,35	— 1,17	— 1,42	+ 0,25
150 — 330	— 2,55	— 1,27	— 1,00	— 0,27
165 — 345	— 1,31	— 0,65	— 0,53	— 0,12

Pretia ex lectionibus pro $\frac{B-A}{2} = C$ accepta exprimuntur per formulam $C = -0",815 + 0",901 \sin. (2u + 48^\circ 19')$, si u est locus primi indicis. Columna postrema probat, quali hoc fiat praecisione. Si itaque M est medium arithmeticum quatuor Noniorum, erit $M = A + C = B - C$; et pro locis u, in quibus Sol observatur, erit ex formula ad quintum gradum:

pro u = 30°	C = + 0,03	pro u = 275°	C = — 1,57
35	— 0,03	280	— 1,64
40	— 0,11	285	— 1,68
45	— 0,21	290	— 1,71
50	— 0,34	295	— 1,69
55	— 0,48	300	— 1,66
60	— 0,62	305	— 1,60
65	— 0,78	310	— 1,52
70	— 0,94	315	— 1,41
75	— 1,10	320	— 1,28
80	— 1,23	325	— 1,14

In columna verticali diarii, cui *medium correctum* inscriptum est, numeri in observationibus Solis lecti respectu C jam correcti exhibentur.

Differentiam $B - A$ erroribus primitivis in divisione circuli adscribere non debemus, cum methodus, qua ingeniosissimus instrumenti auctor machinam divisoriam construxerit, tales errores nullo modo patiat, e contrario omni errore expertus sit habenda, quatenus adhibitis summis cautelis contra effectus temperaturae in metallum hoc assequi licet. Sola itaque hujus differentiae explicatio peti potest ex circuli, post divisionem exaratam, figura tantillo mutata, quod, dum per cochleas in axis corpus figebatur, factum esse verisimillimum videtur. Utque non dubitari quidem potest in medio arithmetico ex quatuor indicibus seu in $\frac{A+B}{2}$ errorem manere multo minorem quam in singulis A et B, ita tamen nullo modo probari potest hoc medium omni errore vacare. Et hinc provocatur necessitas, si summa in observationibus quaeritur certitudo, circuli in axem fixi divisionis denuo examinandae. Sed de hoc examine in volumine sequenti agemus.

De calculo refractionum.

Ad calculum refractionum adhibui tabulam novam Regiomontanam, qualis in Vol. 8 annalium obvia est, ita tamen ut omnes refractiones calculatae coefficiente 0,9985 sint multiplicandae ob correctionem 0,5 lin., quam cel. Besselius in barometro suo invenit, quamque neglexi, cum jam ex tabula in Vol. 7 data calculos tabulasque auxiliares perfecissem. Nec eas mutare volebam antequam Barometri etiam a me adhibiti error constans, si quis est, sit cognitus. Barometrum hoc habet tubum in vas ligneum cylindricum inversum. Unde si pro altitudine 336 lin. et temperatura scalae = 0 justus est scalae situs, correctio ob depressionem capillarem et rationem diametrorum tubi et vasis erit = $+(0,5 + \frac{1}{3} x)$ lin., si x est numerus altitudinis barometri supra 336 lin. Cum thermometerum internum ad barometrum suspensum sit Reaumurianum, correctio quinti loci decimalis logarithmi refractionis est $-9 \tau'$, si τ' est gradus positivus thermometeri. Thermometerum externum est suspensum in rima boreali meridiana in aere libero, et est etiam Reaumurianum. Primum thermometerum adhibitum fractum est die 13 Aprilis. Puncta ipsius fixa determinata fuere a collega venerando cel. Parrotio sen., physices professore, omni cura. Pro puncto congelationis ex nova disquisitione correctionem inveni = $-0",06$, quae omnibus temperaturis lectis suo signo est addenda. Tubulum ipsum perfectissime cylindricum fuisse disquisitio, ad methodum Besselianam

per fila mercurii dissoluta instituta, me docuit. Pro thermometro secundo inde a die 13 Aprilis adhibito, scrupulosa disquisitio utriusque puncti normalis et tubuli formae hanc nobis tabulam dedit correctionum temperaturae in scala lectae = t.

t =	Correctio.
— 30	— 0,35
— 20	— 0,15
— 10	+ 0,04
0	+ 0,17
+ 10	+ 0,26
+ 20	+ 0,32
+ 30	+ 0,32
+ 40	+ 0,28
+ 50	+ 0,20
+ 60	+ 0,09
+ 70	— 0,08
+ 80	— 0,29

Utriusque thermometri correctionis argumenta in Vol. sequenti fusius exponentur. Hoc loco ea erant indicenda, quae ad calculum refractionum, quales in diario exponuntur, pertinent. Calculum vero hunc tantum usque ad distantiam 85° a vertice extendimus.

Locus poli in circulo.

Locus poli, per solas stellas polares α et δ Urs. min. constitutus, pro diversis periodis in tabula sequenti continetur. Medium ita calculatum est in quavis periodo. Si una stella in oppositis culminationibus observata adest, medium inter utrumque numerum est sumtum, unde locus poli a correctione declinationis esset vacuus. Si utraque stella complete observata, ex utriusque medio denuo medium est sumtum ratione observationum numeri. Si in singula culminatione altera stella est observata, correctiones pro declinationibus ex tabulis auxiliaribus cel. Schumacheri depromtis suppositae sunt hae, pro α Urs. min. $\Delta = - 0'',12$, pro δ Urs. min. $\delta = + 0'',08$. Quae ex ipsis observationibus nostro instrumento institutis sequuntur. Tum medium sumtum ratione numeri observationum utriusque stellae; ita in prima periodo habemus medium locum poli per

$$\frac{23 \cdot 53'',125 + 3 \cdot 53'',172}{26} = 55'',19.$$

Locus poli in instrumento.

	Periodus.	Positio Circuli.	Stella.	Num. obs.	Locus poli.	Medium.
1	1822. 26 Oct. — 2 Nov.	Occ.	α supra α sub δ supra	15 8 3	28 52 53,09 — Δ 53,16 + Δ 53,80 — δ	28 52 53,19
2	3 Nov. — 14 Nov.	Or.	α supra α sub δ supra	24 36 4	325 38 29,40 + Δ 29,52 — Δ 30,03 + δ	
3	15 Nov. — 5 Dec.	Occ.	α supra α sub δ supra	30 28 11	28 52 54,53 — Δ 54,41 + Δ 54,14 — δ	28 52 54,39
4	16 Dec. — 25 Dec.	Or.	α supra α sub δ supra δ sub	22 13 6 5	325 38 30,19 + Δ 30,31 — Δ 30,72 + δ 30,62 — δ	
5	1823. 2 Jan. — 21 Jan.	Or.	α supra α sub δ supra δ sub	48 8 25 34	325 38 31,64 + Δ 31,76 — Δ 31,57 + δ 31,71 — δ	325 38 31,67
6	24 Jan. — 27 Jan.	Occ.	α supra δ supra δ sub	13 7 5	28 52 56,34 — Δ 55,41 — δ 55,97 + δ	
7	28 Jan. — 5 Febr.	Occ.	α supra δ sub	28 16	28 52 52,61 — Δ 52,45 + δ	28 52 52,51
8	6 Febr. — 7 Febr.	Occ.	α supra δ supra δ sub	5 15 5	28 52 55,84 — Δ 55,04 — δ 55,45 + δ	
9	8 Febr. — 11 Febr.	Occ.	α supra δ supra δ sub	9 8 13	28 52 60,63 — Δ 58,72 — δ 58,44 + δ	28 52 59,23
10	17 Febr. — 18 Febr.	Or.	α supra δ supra δ sub	13 3 11	325 38 33,50 + Δ 33,14 + δ 34,48 — δ	
11	19 Febr. — 23 Febr.	Occ.	α supra δ sub	10 10	28 52 58,62 — Δ 58,38 + δ	28 52 58,60
12	6 Mart. — 12 Mart.	Occ.	α supra δ supra δ sub	29 18 7	28 52 58,72 — Δ 58,72 — δ 59,00 + δ	
13	13 Mart. — 18 Mart.	Or.	α supra α sub δ supra δ sub	41 10 21 15	325 38 35,07 + Δ 34,40 — Δ 34,20 + δ 33,97 — δ	325 38 34,46

	Periodus.	Positio Circuli.	Stella.	Num. obs.	Locus poli.			Medium.
14	1823. 14 Mart. — 6 Apr.	Occ.	α supra α sub δ supra δ sub	47 39 6 17	28 52	58,59 58,87 58,31 58,76	— Δ + Δ — δ + δ	28° 52' 58,73
15	7 Apr. — 14 Apr.	Or.	α supra α sub δ sub	24 15 7	325 38	35,28 33,91 34,22	+ Δ — Δ — δ	325 38 34,53
16	19 Apr. — 26 Apr.	Or.	α supra α sub	16 16	325 38	34,92 33,94	+ Δ — Δ	325 38 34,43
17	27 Apr. — 8 Maj.	Occ.	α supra α sub	47 55	28 52	58,62 60,13	— Δ + Δ	28 52 59,38
18	14 Maj. — 22 Maj.	Or.	α supra α sub	54 42	325 38	34,64 33,19	+ Δ — Δ	325 38 33,92
19	28 Maj. — 5 Jun.	Occ.	α supra α sub	42 50	28 52	58,70 59,77	— Δ + Δ	28 52 59,24
20	20 Aug. — 22 Aug.	Occ.	α sub δ supra δ sub	20 5 11	28 52	61,35 60,56 61,17	+ Δ — δ + δ	28 52 61,07
21	6 Sept. — 16 Sept.	Or.	α supra α sub δ supra δ sub	21 45 19 14	325 38	35,62 36,28 35,76 37,23	+ Δ — Δ + δ — δ	325 38 36,15
22	16 Sept. — 21 Sept.	Occ.	α sub δ supra δ sub	30 23 15	28 52	60,79 59,93 59,63	+ Δ — δ + δ	28 52 60,18
23	21 Sept. — 1 Oct.	Or.	α supra α sub δ supra δ sub	17 31 5 3	325 38	36,60 36,03 35,26 37,24	+ Δ — Δ + δ — δ	325 38 36,30
24	2 Oct. — 6 Oct.	Occ.	α supra α sub	19 20	28 52	60,16 60,55	— Δ + Δ	28 52 60,36
25	7 Oct. — 11 Oct.	Or.	α supra α sub δ supra	34 28 8	325 38	36,12 36,28 35,25	+ Δ — Δ + δ	325 38 36,03
26	12 Oct. — 30 Oct.	Occ.	α supra α sub	49 30	28 52	60,67 60,36	— Δ + Δ	28 52 60,51
27	6 Nov. — 19 Nov.	Or.	α supra α sub	52 42	325 38	37,87 37,65	+ Δ — Δ	325 38 37,76
28	22 Nov. — 17 Dec.	Occ.	α supra α sub	37 36	28 52	61,15 60,82	— Δ + Δ	28 52 60,98

Tabulam hanc inspicienti, in qua, quotiescumque in filorum situ aliquid mutatum, duplex linea transversa ducta est, apparet, si excipias spatium inde a 28 Jan. ad 11 Febr. 1823, locum poli in utraque circuli positione sibi constantissimum fuisse. In hoc vero spatio a die 28 Jan. ad 11 Febr. per abrupta spatia locum poli mutationes sat magnas esse expertum videmus, quas tamen satis explicare possumus. Excellebat hoc tempus eximio frigore, et tanta in instrumento erat frictio, ut vim ad motum gyratorium ciendum adhibitam in instrumento aliquid mutasse non sit mirandum. Sublata est haec frictio detracto circulo et axi conico novo oleo circumfuso die 11 Februarii. Ex quo tempore et lenissimus erat instrumenti motus, et talis in loco poli constantia, ut nil desiderandum relinqueret. — Comparatis vero locis poli per 6 primas periodos, suspicio oritur, cum frigore aucto etiam numerum loci poli tantillo crescere, cum et postremae anni 1823 periodi 27 et 28 paululo majores praebeant numeros praecedentibus. Sed hae tam parvae differentiae forsant sunt fortuitae, ita ut solum per plurium annorum observationes tutum hujus rei iudicium possit ferri. Spatium a die 16 Decembris 1822 ad 21 Jan. 1823 in duas periodos dividere necesse erat, cum posteriores observationes locum poli certissime $1''{,}3$ majorem darent prioribus. Haec vero est hujus organi insignis virtus, ut, etiamsi exiguae variationi subjectus sit locus poli per temperaturam, declinationes ab ea non afficiantur, si in positione utraque circuli sunt observatae.

Correctiones declinationis α et δ Urs. min. suppositae.

In calculo loci poli in instrumento declinationes stellarum polarium sunt suppositae secundum tabulas Besselianas ex auxiliaribus cel. Schumacheri. Locus medius qualis ex culminatione superiore sequitur cum eo collatus, quem inferior praebet, duplicem dat declinationis correctionem. Tutius vero mihi visum est eandem in declinatione ingredi viam, qua in ascensiones rectas inquisivimus, nempe locum poli, qui ex singula culminatione deductus est, comparare cum duobus utrimque proximis ex culminatione opposita. Ita haec accipimus:

Stella polaris.

1822.	$\Delta =$	Circ. ad	1823.	$\Delta =$	Circ. ad	1823.	$\Delta =$	Circ. ad	1823.	$\Delta =$	Circ. ad
27,4 Oct.	+ 0,07	Occ.	2,8 Jan.	+ 0,02	Or.	29,2 Maj.	- 0,03		12,8 Oct.	+ 0,12	
31,4 —	- 0,16		16,6 Mart.	- 0,50		29,7 —	- 0,14		13,4 —	+ 0,16	
4,9 Nov.	- 0,24	Or.	21,6 Mart.	+ 0,02	Occ.	30,2 —	- 0,19	Occ.	13,9 —	+ 0,28	Occ.
5,4 —	- 0,15		26,1 —	- 0,31		30,7 —	- 0,21		14,4 —	+ 0,27	
9,9 —	+ 0,04		26,6 —	- 0,48		31,7 —	- 0,49		18,9 —	- 0,08	
10,9 —	+ 0,02		27,1 —	- 0,50		1,2 Jun.	0,30		20,4 —	- 0,26	
11,4 —	- 0,26		27,6 —	- 0,37		1,7 —	+ 0,09		23,9 —	- 0,45	
11,9 —	- 0,37		29,6 —	+ 0,01		2,2 —	+ 0,04		26,4 —	- 0,12	
12,9 —	- 0,11		10,4 Apr.	- 0,50		3,2 —	- 1,29		26,9 —	- 0,04	
13,4 —	+ 0,16		10,9 —	- 0,74		3,7 —	- 1,13		29,4 —	+ 0,70	
13,9 —	+ 0,29		14,4 —	- 0,90		7,6 Sept.	+ 0,39		29,9 —	+ 0,76	
14,4 —	- 0,02		23,9 —	- 0,49		8,1 —	+ 0,46				
18,3 Nov.	- 0,10	Occ.	26,4 —	- 0,52	11,1 —	+ 0,12	7,3 Nov.	- 0,45			
22,8 —	+ 0,13		1,9 Maj.	- 1,02	11,6 —	+ 0,22	7,8 —	- 0,57			
25,8 —	- 0,36		4,9 —	- 0,74	12,1 —	+ 0,39	8,8 —	+ 0,31			
26,3 —	- 0,25		5,4 —	- 0,54	15,6 —	+ 0,48	9,3 —	+ 0,15			
30,3 —	+ 0,28		6,4 —	- 0,21	23,6 —	- 0,01	13,3 —	- 0,28			
1,8 Dec.	+ 0,49		6,9 —	- 0,24	25,6 —	- 0,10	13,8 —	- 0,11			
4,3 —	+ 0,31		8,4 —	- 0,96	2,6 Oct.	- 0,35	14,3 —	+ 0,30			
				3,6 —	- 0,42	14,8 —	+ 0,04				
20,8 Dec.	+ 0,01	Or.	15,8 Maj.	- 1,22	4,1 —	- 0,56	25,8 Nov.	+ 0,16			
21,3 —	+ 0,32		16,3 —	- 0,60	6,1 —	+ 0,20	26,3 —	+ 0,21			
21,8 —	+ 0,58		16,8 —	- 0,42	7,6 Oct.	+ 0,63	3,3 Dec.	+ 0,60			
			18,8 —	- 0,09	8,6 —	- 0,14	3,8 —	+ 0,69			
			19,3 —	+ 0,09	9,1 —	- 0,15	8,3 —	+ 0,14			
			19,8 —	+ 0,03	9,5 —	- 0,01	10,3 —	+ 0,20			
			20,3 —	- 0,31	10,5 —	- 0,14					
			21,8 —	- 0,89	10,9 —	- 0,03					
		22,3 —	- 0,69	11,4 —	- 0,07						

Ex 52 observationibus circulo ad Occidentem verso est $\Delta = - 0'',123$; ex totidem, circulo ad Orientem verso, $\Delta = - 0'',116$; quae determinaciones ad unguem conveniunt. Medium est $\Delta = - 0'',12$.

δ Urs. min.

1823.	$\delta =$	Circ. ad	1823.	$\delta =$	Circ. ad
10,9 Jan.	+ 0",24	Or.	15,3 Mart.	- 0",35	
13,4 —	+ 0,01		15,8 —	- 0,65	
15,9 —	- 0,03		21,0 Mart.	- 0,34	Occ.
17,4 —	+ 0,15		20,9 Aug.	- 0,32	Occ.
19,4 —	+ 0,34		21,4 —	- 0,31	
19,9 —	+ 0,31		8,3 Sept.	+ 0,77	Or.
20,4 —	+ 0,05		8,8 —	+ 0,96	
20,9 —	0,00		11,3 —	+ 1,09	
24,5 Jan.	- 0,28	12,3 —	+ 0,65		
17,9 Febr.	+ 0,62	Or.	13,8 —	+ 0,42	
11,4 Mart.	- 0,14	Occ.	16,8 Sept.	+ 0,17	Occ.
14,3 Mart.	+ 0,04	Or.	17,3 —	+ 0,08	
14,8 —	+ 0,27		18,3 —	- 0,05	
			19,8 —	+ 0,20	

Novem observationes, circulo ad Occidentem verso, dant $\delta = - 0",110$; 18 in altera positione $\delta = + 0",272$. Differentia est quidem $0",382$, sed minor observationum numerus. Medium ad reductiones pro loco poli assumi $\delta = + 0",08$.

Elevatio poli.

Ex mediis locis poli in utraque positione circuli comparatis accipimus poli elevationem $= \phi$. Ea vero nobis obtinuit lex in determinando ϕ , ut periodum quamvis cum medio arithmetico inter oppositas praecedentem et sequentem compararemus. Quodsi vero in collimatione aliquid mutatum est extremam periodum cum una proxima tantum licet conferre; ϕ ita accepto dimidium tribuendum est pretium. Ita haec nobis provenere:

$\phi =$		Pretium.	Ex periodis.
58° 22'	48,15	$\frac{1}{2}$	} 1 — 6
	47,86	I	
	47,76	I	
	47,78	I	
	48,05	I	
	47,85	$\frac{1}{2}$	
<hr/>		47,53	I 10 — 11
<hr/>		47,81	$\frac{1}{2}$
	47,84	I	} 12 — 15
	47,88	I	
	47,90	$\frac{1}{2}$	
<hr/>		47,53	$\frac{1}{2}$
	47,40	I	} 16 — 19
	47,30	I	
	47,34	$\frac{1}{2}$	
<hr/>		47,98	$\frac{1}{2}$
	48,02	I	} 21 — 28
	48,01	I	
	47,90	I	
	47,80	I	
	48,19	I	
	48,51	I	
	48,39	$\frac{1}{2}$	

Medium est $\phi = 58^\circ 22' 47,857$.

Singulae determinatiouis pretii integri est error probabilis $\epsilon'' = 0'',191$; et medium $\phi = 58^\circ 22' 47'',857$ habet $\epsilon'' = 0'',044$. Quatenus ex caussis constantibus, nempe divisionis erroribus et actione gravitatis in instrumentum, hoc ϕ etiam corrigendum sit in posterum videbimus.

In vol. III. p. L experientias complures attulimus de differentiis constantibus inter observata tempora culminationum per idem instrumentum a duobus observantibus. Fusius rem tractavimus, cum mens Julio 1823 cel. Argelander, Aboam petens, per novem dies Dorpati moraretur. Qua occasione experimenta sunt instituta de differentiis constantibus et in phaenomenis repentinis, tam apparitionibus quam disparitionibus, et in culminationibus per instrumentum meridianum observatis.

1) Observationes phaenomeni repentini.

